



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.  
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensis Princeps ||  
Elector, &c.**

**Gelenius, Aegidius**

**Coloniae Agrippinae, 1633**

Avctarivm Historiae S. Engelberti Martyris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9728**



AVCTARIVM HISTORIÆ  
S. ENGELBERTI  
MARTYRIS.

Fides &  
constantia  
Coloniensium  
vetus

**R**

LACVIT hic ex reſectis aliqua, quæ ſuperioribus lucem ſint allatura, ſubiſcere; partim ne quis nominum quorundam homonymia captus in errorem ducatur, partim etiam, vt ciues meos à maiorum ſuorum erga Cæſarem ac Principem ſuum fidelitate commendarem; in ſumma enim rerum perturbatione ac periculoſiſſimo Imperij ſchiſmate, fidei ſuæ tenaces Imperatorem ac Principem ſuum rebus omnibus iuuerūt; licet circumcirca ferrum flammamque experirentur hoſtilem, ac hoſtem mœnibus ſuis viderent impendentem; at tamen ſumma animi constantia & magnitudine hoſtem reiecerunt. Quinimo varijs preſſiſſimis calamitatibus alios haud deſtituere principes Catholicos in terris militantibus remotioribus, ſed ijs ex profuſa liberalitate, pecuniarum affatim, ne belli vnquam neruus illis deeſſet, ſubmiſtrarunt; vt videre licet ex Oliucri ad S. ENGELBERTVM noſtrum literis, quas paulo poſt ſubiſciam.

Seinarda  
Brabantia  
auia S. Engelberti.

PAGINA 9. LIT. C. §. Seinarda Brabantia filia.

Seinardæ Brabantæ meminit Henricus Aquilius in Chronico Geldriæ, in Henrico I. Naſſouio, Comite III. Ait enim: *Duxit (Henricus) Seynardam filiam Godefridi Ducis Brabantia &c. & Petrus Scriuerius in addit. ad eundem, inquit, Seynarda hæc ſue Seynara, quemadmodum ab alijs indigitatur, filia fuit Godefridi III. Godefridi II. F. Godefridi Brabanti N. videantur Pontii Heuterij & Ioannis Baptiſta Grammai Genealogiæ Ducum Brabantia. Hæc quidẽ, fateor, ab Haræo in annalibus Ducû Brabantia præteritur, ſed ab alijs, quos attuli, nequaquã. A Lazio cõſtituitur filia Godefridi (à Bullion) poſtea Regis Hieroſolymitani, verum hic cõlebs fuit & ipſi reclamant, quotquot vidit Scriuerius, Chronologi oës; ſubdit Scriuerius, ab eodẽ, inquiens, Reuſnero, Comiti Henrico, filia vnica N. attribuitur nupta Engelberto Comiti Montenſi ſiue Bergeniſi, mater videlicet Adolphi Comitis de Monte & S. ENGELBERTI Archiepiſcopi Coloniensis. Hæc omnibus alijs indieta eſt atq; igno-*

rata



*rata annalibus Gelricis.* Verum de hac manuscrip. Geldricus ita loquitur;  
 A Henricus Tertius, Comes Geldria & Zutphania, Rexit 31. annis, mortuus est anno  
 1162. sepultus est in Monasterio Campensi (vulgo Camp) cum vxore sua, que Gerar-  
 di Ducis Brabantie filia erat, ex qua suscepit Gerardum, Ottonem Comites Geldria,  
 & Albertum secundum Leodiensem, Mariam Com. de Loen & MARGARETHAM  
 vxorem Engelberti Com. de Monte. Videatur & Ioannes Orlerius in Stem-  
 mate Nassouico.

PAGINA 10. Minus concinnè in Cliensium insignibus sceptrā, vt in  
 cæteris leones, cælatoris culpa sunt expressa. Rudenbergensium canis  
 cum tribus auiculis, & trabe est expressus, vt eum olim Godefridus Nobi-  
 B lis vir de Rudenberg referebat; Cæteroqui Rudenbergensium imagines  
 canem vt plurimum sine trabe & auiculis repræsentant.

PAG. 12. Lit. A. §. Sicambros & Geldros olim trans amnem Rhenum  
 habitasse author est Ptolomæus, qui & eos Syngambros vocat, & Sue-  
 tonius in Augusto. Idque ex tractuum, quos incoluerunt, finibus facile  
 est intelligere. Nam qui nunc Geldri audiunt, olim Sicambros nuncu-  
 patos, testis est Sidonius Apollinaris, qui in epigrammate ad Maiora-  
 num, inter alia ita ait,

*Sic ripa duplicis tumore fracto*

C *Detonsus VVahalim bibit Sicamber.*

Qui enim Wahalim ab altera Rheni parte bibunt populi Geldri, hoc  
 tempore nuncupantur; Hos verò Sicambros vocitat Sidonius. Vnde  
 Clodouæus Francorum Rex videtur Gelder, quod sacra tingendum  
 aqua, his affatus feratur fuisse verbis S. Remigius.

----- *Depone mitis colla Sicamber.*

Deinde Franci, quorum non minima portio sunt Sicambri, (vt testis est  
 Gregorius Turonensis lib. e. 9. hist. Francorum, & Claudianus ita aiens:

*Ante Ducem nostrum flauam sparsere Sicambri*

*Cæsariem, pauideq; orantes murmure Franci.]*

D non cis, sed vltra Rhenum habitauere. Nam præcipua Francorum se-  
 des Gregorio Turonensi dicitur Dispargum, quod Dusburgum vltra  
 Rhenum esse omnino existimo. Accedit quod Franci, authore Marcel-  
 lino lib. 17. olim fuerint appellati Salij, qui Transifulanam inhabita-  
 uere prouinciam, prout tabula antiquæ Frisæ in Transifulana prouin-  
 cia indicat, & arguunt hodie Oldensalienses, seu veteres Salij nuncu-  
 pati. Denique vltioris Rheni accolæ fuisse Sicambros, antiqua ostendunt  
 monumenta, quæ illorum etiamnum retinent nomina. Vt patet



in Sigen oppido, ac nobili Comitatus Bergensis Abbatia Sigenberg. Quod si dicas à Siga fluuio illa appellata. Esto, Annon ab eodem etiam A fluuio Sicambri vel Sigambri nomen suum sunt mutuati? Sed vnde arx Sigeburg, haud procul à Wetter Ruræ impendens nomen suum obtinuit? nōne à Sicambri? Quare Sicambros Geldrosque Ducatu Montensi, Westphalia, Transisulania, finitimisque regionibus olim contentos arbitror, vt mirum non sit, posteros Geldriæ Comites principesque certa municipia bonaque ad Sigam fluuium & vicinos tractus possedisse. Qui plura volet, legat Abrahamum Ortelium in suo Thesuro Geographico, vbi diuersas recitat authorum, Cæsaris & Strabonis &c. B sententias. Legat & Rhenanum lib. 1. rerum Germanic. & Adrianum Iunium in sua Batauia. c. 8.

PAGINA 13. Lit. C. §. Theodericus Comes. Nō Thodericus, sed Adolphus hic ponendus est, parens Euerhardi & Adolphi, quem omnes Historici, quotquot adhuc legi aut vidi, neglexerunt. Fingunt enim ab Vrsinis ex Italia prodeuntibus hos duos fratres esse profeminatos. Verum refutantur à Sigewino, qui Ecclesiæ Coloniensi, sub ann. 1079. præstitutus, & obiit anno 1089. Hic enim in literis suis (quas dedit de Kleinborg. Ecclesia Bremensi) Euerhardi patrem non Vrsinum, sed Adolphum C Catalog. appellat. Nam ita ait: *Adolphus & filius eius Euerhardus &c.* Neque dicas, Episc. Col. Adolphum cognominatum Vrsinum. Nam hoc refellitur ex literis B. Annonis; vbi non Vrsinus; sed vel *Aduocatus de Monte* vel absolute *de Monte* nominatur. Quippe *Adolphus*, in priuilegio B. Annonis, quod sub ann. 1068. Imperiali S. Ludgeri monasterio Werdenæ de Villis & decimis dedit, appellatur *Aduocatus de Monte*; absolute verò *de Monte* nuncupatur in literis eiusdem B. Annonis Archiepiscopi Coloniens. de anno millesimo quinquagesimo septuagesimo quarto Kalend. Octobr. presidente, vt inquit, *Romana Ecclesia Gregorio Papa VII. Pontificatus sui anno primo, regnante gloriosissimo Rege Henrico eius nominis quarto, anno regni sui 18. D* Episcopatus nostri 20. datis; quibus de donatione bonorum Coloniensi & Nouesienfi Ecclesijs facta ab Euerardo Cliuensi Comite & Berta eius coniuge Ludouici Bauriæ Ducis filia, Caroli M. pronepte, agitur. In ijs enim testes laudantur, *Anfridus Episcopus de Traiecto, Megenhardus Episcopus Paderbornensis, Hermannus Præpositus maioris Ecclesie Coloniensis, Gerardus Decanus eiusdem Ecclesie, Arnoldus Præpositus S. Seuerini Coloniens. Linsio Præpositus S. Ludgeri in VVerdina, VVillebrandus, Anfridus, Heruo, Berengarius, & alij quamplures Monachi eiusdem Ecclesie: Otto Comes de Zutphen, & Geldria, Fride-*  
ricus



ricus Comes de Arnsberg, Henricus frater eius, Gerardus Comes de Hofte-  
**A** den, Rutzu Comes de Hegenbach, Godefridus filius eius, Hermannus de \*Nornemth, \* forte Nort-  
 Adelbertus de Saffenberg, ADOLPHVS DE MONTE; De Ministerialibus verò, vt heimb vel  
 aiunt, nostris testes predictorum sunt, Arnoldus Aduocatus, Ernestus filius eius, Adel- Noruenich.  
 bero, Cigiboldo, VVitego, Renthero, Gervvardus, Guntherus, Mazzo, Mecalsus, A-  
 delhardus, Reinoldus, Ochimus, Arnoldus Meginzo, Tetelinus & alij quam plures.  
 Acta sunt hæc Colonie, Anno &c. in die dedicationis Maioris Ecclesie nostræ Colo- Quando  
 niensis &c. Vnde consequens est, non Vrsinum aliquem, sed Adolphum maior Ec-  
 hunc Adolphi & Euerhardi esse parentem, vt iam ostendi & expresse clesia Co-  
 in Genealogia quadam manuscripta illum Adolphum (quem simul de- loniensis  
**B** signat filium Ottonis viuentis circa annum 1068.) notatum vidi ge- dedicata.  
 nitorem; quamuis Reuerendissimus & Illustrissimus D. Ericus de Lim-  
 burg, Comes de Styrum Ecclesie Maioris Colonienfis Præpositus  
 & in Genealogijs studiosus ac fœlix indagator, in Comitum Altena-  
 norum Genealogia, quam sua conscripsit manu, velit & nuncupet eum  
 Theodericum. Quem quidem inuenio in literis Conradi Imperatoris  
 ex Archiuo Vltraiectensi, de anno MCXLV. Indictione VIII. 6. Kalen.  
 Nouembr. sed non reperi parentem alicuius nominari. Quod vt constet  
 clausulâ & omnium subijcio testium, qui in ijs literis afferuntur, nomina:  
**C** vt autem hæc ab omnibus credantur & incommulsa omni deinceps tempore conseruen-  
 tur, hæc inde chartam scribi, & aurea bulla nostra insigniri iussimus manuq; pro-  
 pria, vt infra videtur, corroborantes, idoneos testes, qui presentes aderant, subternotari  
 fecimus: quorum nomina hæc sunt. Anselmus Hanulbergensis Episcopus, Conradus Al. Temo,  
 frater noster & eiusdem Ecclesie Præpositus, Emo Præpositus S. Saluatoris, Conradus  
 Tielensis Præpositus, Arnoldus Præpositus S. Mariae, Luitbertus S. Petri Præpositus,  
 Anselmus Decanus S. Ioannis, Simon Camerarius, Henricus Comes de Geldre, Go-  
 defridus de Arnsberg & frater eius Comes Hermannus, THEODERICVS DE  
 ALTENAE, Adelbertus Comes de Noruenich, Godefridus Præfectus Norinbergensis,  
**D** Robertus Comes de Lutzenburg, Godefridus de Rinnen & filius eius Hugo, Giselber-  
 tus filius Hugonis Aduocati, Gerardus de Marten, Alardus de Megene, Iordanus de Al. Marcen.  
 VVindesheim, Godefridus de VVeke, Pergrinus de Campfelde, Lithardus de De- Al. Desemb.  
 senheim, Alardus de VVissenhurs & frater eius VVinemar, Theodericus de Buc- Al. VViren-  
 keshorst, & frater eius VVrenboldus, VVilhelmus Comes Gorenfis, Rudolphus de boldus.  
 VVia, Otto de Malberch, Euerhardus Crittholman, Henricus de Pappenheim Mare- Al. Crichel-  
 schalcus noster, Henricus Freso, & frater eius VVigerus, Henricus de Boninge, Arnol- man.  
 dus de Rodenburg dapifer noster, Conradus Pris Pincerna, Tibertus Camerarius, Al. Cibertus  
 & Volterus de Louenhusen, Marquardus de Grombach, Conradus de VValrestein, vel Tiberius.



Al Berthol-  
phus.

Tibertus de Spieleberg, Otto Praefectus Traiectensis, Albertus Telonarius, Rudolphus, VVernerus, VValterus, & filius eius Henricus, Eckbertus de Amstelo, Bertholdus de Aldenselon, Iacobus de Saterslo. Signum Conradi Romani Regis II. Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarij recognoui. Anno Dominicae Incarnationis MCXLV. Indictione VIII. 6. Kalend. Nouemb. Regnante Conrado Rom. Rege secundo, anno vero regni eius octauo. Data est apud Traiectum in Christo feliciter Amen.

Kleinsorg.

Deinde hic Adolphus non is fuit, qui duxit Adelheidem Arnoldi II. filiam. Nam iste ab omnibus pehibetur esse Euerardi frater. At verò huius Euerardi pater non frater fuit ille Adolphus, de quo nos. Siquidem, ut modo vidimus, hic Euerhardus à Sigevvino nuncupatus fuit Adolphi filius. Non igitur is esse potest Euerardi frater qui Aleidem duxit vxorem. Facit, quod Adolphus prior, mortuus sit anno 1132. ut habet Genealogia quaedam manuscripta, vel anno 1136. ut testantur manuscripti Altenani: Adolphus verò frater Euerardi cum suo fratre obierit anno 1152. ut iidem docent manuscr. & D. Myraeus ex archiuis veteris môtis sibi constare, datis ad me literis scribit. Reliqui igitur est, Adolphum Adolphi posterioris esse parentem. Vter autem sit, cuius sit mentio in priuilegio Lotharij Imperatoris pro monasterio Claholtz sub ann. 1134. Respondebis Adolphum iuniorem, si parentem ann. 1132. obiisse statuas; sin verò adhuc velis vixisse, parum refert, scire, vter fuerit, cum parens designari potuerit, quod dicas eum illo tempore adhuc vixisse, & anno demum 1136. obiisse. Certè posteriorem Adolphum esse, cuius meminit Conradus Imperator in literis ex archiuo Ultraiectensi, arguit ipse annus, quo datæ sunt, nim. ann. 1145. Hi verò in ijs testes nominantur: ut autem hac nostra donatio, donum, & priuilegium Regia magnificentia voluntaria ac liberatiter concessa, eisdem perpetua sint & rata, & credantur ab omnibus, & inconuulsa omni deinceps tempore conferuentur, hac in charta conscribi iussimus manu propria, ut infra videtur corroborantes, idoneos testes qui presentes aderant subternotari fecimus; quorum nomina hæc sunt, Anselmus Havelbergensis Episcopus, Albero Leodiensis Episcopus, VVernerus Monasteriensis Episcopus, Nicolaus Cameracensis Episcopus, Vdo Osnaburgensis Episcopus, VValramus, Dux VVilhelmus Comes Palatinus, Henricus Comes de Zutphene, Arnoldus Comes de Cluo, ADOLPHVS COMES DE MONTE, Henricus Comes de Geldre, Conradus frater noster Praepositus Sancti Bonifacij, Conradus Tyelon Praepositus, Godefridus de Rene, Alardus de Megene, Otto Praefectus Traiectensis, Egbertus de Amstelo, Bertholdus de Aldensel, Iacobus Satersloe. Signum Domini Conradi Ro-



*manorum Regis III. Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarij recognoui. Anno Dominice Incarnationis. MCXLV. Indiçt. VIII. 15. Kalend. Nouemb. Regnante Conrado Romanorum Rege III. anno vero regni eius VIII. Data apud Traiectum in Christo feliciter.*

Deinde vixit parens tempore Henrici III. mortui 1057. Henrici IV. obeuntis 1106. Rudolphi, Conradi, Henrici V. & aliquamdiu cum Lothario; Filius verò Adolphus, tempore Lotharij, Conradi, & vsque ad Fredericum Barbarossam, qui anno 1152. 4. Martij omnium Principum consensu Francofurti electus est Imperator. Ideoque cum vterque tempore Lotharij vixerit, alteruter illorum ex posteriore sententiâ potuit testis laudari. Porrò Adolphus filius est, qui cum fratre suo Euerhardo fundauit & dotauit Veteris Montis monasterium, arce in Abbatiam commutata, in quam fratres de Morimundo sub ann. 1133. immigrarunt, vnde hi leguntur versus.

*Anno milleno, centeno, terque deceno,  
Cum tribus, vt natus patris, est de virgine natus,  
Hic in honore Dei lux crastina Bartholomei  
Dat prius optatum Morimundis habitatum.*

Primus illis præfuit Berno; Nam, vt legitur,

*Abbas est Berno primus de Monte Veterno.*

Verum vt manifestius errorem illum de Ursinis, multorum, qui sibi Euerhardi & Adolphi parentem ex Italia venisse persuasissimum habent, animis eximam, paululum illos ad maiorum nostrorum literas & monumenta seducam, ex quibus certum est, Comites Altenanos & Montenses ab Aduocatis Tuitiensibus, esse profectos. Nam signa Aduocatorum Tuitiensium diplomatibus antiquis appressa Comites denotant Altenanos, vt felicis recordationis frater meus ex inspectis curiosius diplomatibus aduertisse se notat in vita S. Heriberti ab ipso conscripta Hos verò aduocatos ætate & tempore Adolphum Euerhardi & Adolphi parentem præcucurrisse palam est. Nam Adolphi & Hermanni fratrum Aduocatorum seu DEFENSORVM Tuitiensium fit mentio in litteris S. Heriberti, quas dedit Monasterio D. Matris Tuitiensi sub ann. 1009. de Zudendorff, quæ nunc Zundorff appellatur; ita enim inquit: *Signum Egilvardi custodis, signum Folberti Abbatis, signum Erenfridi Diaconi nostri, signum Christiani Comitis, signum Gerardi defensoris domus, signum HERMANNI DEFENSORIS TUITIENSIS Ecclesiæ, signum fratris eiusdem Adolphi, signum Gerardi Iulienfis, signum Gilsonis Comitis,*

Origo veterior familie Altenana.

anno



anno Dominica incarnationis millesimo nono, indictione 6. Kalendis Martij. Quinimo fit eorum mentio sub ann. 1003. Nam ita in literis quibus S. Heribertus anno Dominicae incarnationis 1003, indictione 1. Kalend. Aprilis, anno D. Henrici secundi gloriosissimi Regis dedit decimas Remagenses Monasterio Tuitiensi. Ita verò habent: Signum VVilekini Prepositi S. Petri, Signum Aluoldi Prepositi S. Gereonis, Signum Guizonis Prepositi S. Victoris, Signum Reggmardi Capellani, Signum Christiani Comitis, Signum Hermanni Aduocati Diuitensis Ecclesie, Signum Belisonis Comitis, Signum Gerardi anno &c.

In alijs quoque literis eodem die datis quibus in Eschwiler, Arviller, & Puitre eidem monasterio assignat, ait: Signum VVickeri Prepositi S. Petri, Signum Arnoldi Prepositi S. Gereonis, S. Guizonis Prepositi S. Victoris, Signum Reginhardi Capellani, Signum Christiani Comitis, Signum Hermanni Aduocati Diuitensis Ecclesie, Signum Belisonis comitis, Signum Gerardi anno &c. In alijs de anno 1003, indictione prima 14. Kalen. Iunij. Anno Domini Henrici secundi gloriosissimi Regis I. Heriberti vero Episcopatus tertio, vbi eidem monasterio donat prædia in Merthem, Stockhem, & Gutterfsvvick, testibus VVigero Preposito S. Petri Aluoldo Preposito S.

NB. In originali Gereonis, VVerinzone S. Cumberti, Guitzone S. Victoris Reinoldo Capellano, Signa tabularum S. Seuerini & paulo post signum Baldrici comitis, signum Franconis, Signum HERMANNI, Signum Rudebei, Signum Gerardi, Signum Christiani, anno &c. Heriberti fit & in literis donationis curtis Rode & Dielchem. Testibus VVigero Prepositura rotundo S. Petri, VVerinzone S. Kuniberti, Bigezone S. Seuerini. Laicisq; fidelibus quorum dum repræsentare Episcopum Umbli- hęc nomina inferuntur. Signum Franconis, Signum Ruperti, Signum Gerardi, Signum HERMANNI, Signum Christiani, Signum ADOLPHI, Signum Tymonis, Signum VVezelini anno Dominicae Incarnationis 1003, indict prima 14. Kal. Martij, anno Domini Henrici secundi gloriosissimi Imperatoris, primo, Heriberti, verò Episcopatum cognoscere potui B. nasterij, B. Heribertus sic finit tabulas, Signum Notkeri Leodiensis Episcopi, Petrum Apostolum pedum Erckonis Prepositi S. Victoris, Signum Sigeronis Prepositi S. Seuerini, Signum VVerinzonis Prepositi S. Kuniberti, Signum Reginhardi Capellani, Signum Abbatis Folgerentē cum perti, Signum Abbatis Helia, Signum Christiani Comitis, SIGNVM HERMANNI DEFENSORIS EIVSDEM TVITIENSIS ECCLESIE, SIGNVM ADOLPHI FRATRIS EIVS, Signum Gerardi Defensoris domus, Signum Gerardi Iulienensis, bertus ser- Signum Belisonis Comitis. Anno Dominica Incarnationis M. XIX. Indictione secunda, s. Nonas May, Anno Domini Henrici Gloriosi Imperatoris XVIII, mei vero Episco-



**A** *Episcopatus XXI. acta sunt hæc, &c.* Ex his apertum est Adolphum cuius fit mentio in his literis non esse eum, quem ostendimus ex alijs literis Euerhardi parentem. Nam cum hic obiisse perhibeatur anno 1132. vel 1136. vel 1147. ut vult Rosarius, & ille vixisse dicatur ann. 1003. & sat prouectæ fuisse ætatis cū fratre annis superiorib⁹ graui legatione perfūcto, ut iā dicā: haud est vero simile eundē esse Adolphū, nisi Adami vel Noemi ætatē velis illū vixisse, quod nemo admiserit. Ideoq; hic illū ætate præcesserit necesse est. Quod verò hic Adolphus Defensor Tuitiēsis fuerit Comes, ostēditur ex eo, quod frater ipsius Hermannus expresse perhibeatur à Lamberto Monacho Leodiensi in vita S. Heriberti manuscript. ad ann. 999. Comes & missus Legatus post Euergeri Archiepiscopi Colonienfis obitum ad Ottonem III. Imperatorem, ut S. Heriberto in Archiepiscopatu succenturiato insignia Archiepiscopalia pedum &c. multorum suffragijs oblata ab Imperatore obtineret, quæ etiam obtinuit. Ita autem ait Lambertus. *Ordinantur maiorum meliores ex Clericis, qui commune decretum Italia, cum pastorali baculo perferant ad solium Cesaris, cum quibus per totius in idipsum ascensu militia destinatur COMES HERMANNVS VIR PROBVS ET NOBILIS. Nulla sit dilatio properantium ne quis malignantium fraude præoccupet salutem ciuium expectantium, & quia moris est Principum accusare moras tardantium talia portantium. Post tot igitur immensos viæ labores tandem ad Augustum iam pridem Roma egressum perueniunt insignia præfulatus ipsi prostrati exerunt, legationem suam & suorum clementer expectant acceptari, quam sine vitio & integra fide constabit ordinari Releuat eos Imperator benigna consolatione & in spem suæ petitionis inducit, fixa promissione & si qui essent qui obuiare prætentarent huic vnanimitati procul dubio repellerentur importunitate sua iure repudiati Taliter à conspectu eius egressi succedunt hospitio, iter suum & causam committentes Indiuidua Trinitatis arbitrio &c.* Vide & de hac legatione S. Rupertum. Deinde, quod idem fuerit Comes de Monte, qui **D** Aduocatus Tuitiensis, aperte satis colligitur ex Godefrido Panthaleonita, qui ad ann. 1205. tradit, Tuitiense castrum, ut ipse ait, fuisse stipatum militibus Adolphi Comitis de Monte ex ipsiusque *Comitis domo* plurimum ciuitati Colonienfi nocitum, ut paulo post ex Godefrido docebo. Iam verò cuius est collocare in vrribus aut castris præsidia? nonne protectorum seu Defensorum? Quare cum Comes Montis suū in castro Tuitiensi collocarit militem, ipse ipsius fuerit Aduocatus & Protector. Quod & antiquæ testantur literæ. Porro Comites de Alzena & Isenberg descendere ex Comitibus de Monte seu eisdem esse,



nemini dubium esse poterit, qui Casarium legerit. Qui verò volet re-  
 petat lib. z. vitæ S. ENGELBERTI, vbi id manifeste satis ostenditur. Nec  
 retardet quempiam, quod in castro Tuitiensi domum Adolpho Mon-  
 tensi Comiti fuisse tradiderim ex Godefrido. Nam cum hic ea ætate  
 Colonia habitauerit, non poterat id illi non constare; ideoque Adol-  
 pho domus in ipso castro omnino est concedenda. At inquires, castrum  
 iam ante à S. Heriberto erat in Monasterium conuersum. Fateor, non  
 ita tamen, vt exclusit Adolpho Comiti omnem habitandi occasio-  
 nem, cum etiamnum rudera, & in Rheni ripa turrium reliquæ, castri si-  
 militudinem adhuc præferant; & quis ignarus quod Iburgum hæc  
 ætate nostra in Diœcesi Osnaburgensi audiat & aix & Monasterium? B  
 Idem vtrique est circuitus, idem murus; sed separata vtrique habitatio.  
 Sed ecce; dum hæc operose ostendere conor, offerunt se mihi de anno  
 967. 976. literæ, quibus Otto II. Imperator efflagitatu Warini Archipræ-  
 fulis Coloniensis priuilegia Monasterij Gerrisheim haud procul Duf-  
 feldorpio siti in Comitatu Hermanni, & olim sub Wiliberto Episco-  
 po, qui anno 870. electus erat, ædificati & dotati, confirmare se resta-  
 tur. Ex quibus profecto quid aliud colligere possum, quam Herman-  
 num anno 976. Comitem fuisse Montensem. Quis enim alius prope  
 976. Duffeldorpium in loco, vbi Gerresheim iacet, comitatus præter Mon-  
 tensem? Quare cum ille comitatus dicatur Hermanni, hunc Comitem C  
 Montensem fuisse, necessario est asserendum. Hinc, quàm grauitè hal-  
 lucinentur, elucescit, qui Altenanos vel sub Ottone III. vt Lepoldus  
 Northoff in Chronicis Marchicis, vel sub Lothario Saxone, vt cum  
 Henrico de Heruordia Kleinsorgius, vel ab Henrico Sancto ann.  
 1122. primos Comites in his terris ferunt creatos; Certe Andaba-  
 tarum more sine harum literarum subsidio in historijs videntur fuis-  
 se versati. Quod si quis scrutator veterum monumentorum incidat  
 NB. Her- in tabulas ex archiuo Brawilerensi productas reperiet quidem tem-  
 mannus se versati. Quod si quis scrutator veterum monumentorum incidat  
 Comes Pa- in tabulas ex archiuo Brawilerensi productas reperiet quidem tem-  
 latinus & pore Ottonis primi aliquem Comitem Palatinum Hermannum, sed D  
 Nemoris quis ille fuerit necdum indagavi, neque quis existimet illius fuisse Co-  
 [der Bille] mitatum Hermanni de quo iam egimus, quod illius filius Ezzo vel E-  
 secundū a- renfridus Saleueldt, Duisburgum, insulamque S. Svuiberti prope Ger-  
 liquos vi- resheim possederit Nam aliud est locum ipsum possidere, & aliud pro-  
 detur pa- pe istum locum aliquid aliud possidere. Noster verò Hermannus pos-  
 ter S. Cu- ssidebat ipsum locum Gerresheim, prope verò ipsum reliqua bona alter  
 negundis. ille tenebat Palatini Hermanni filius, qui ea loca ab Imperatore Hen-  
 rico



rico Sancto primum acquisiuit. Vnde Erenfridi Comitatus alius est à  
 A Comitatu Hermanni Montensis (vt eum appello) Comitis. Pro maiori  
 declaratione & ad illustrandas Patriæ historias, alterius Hermanni Ge-  
 nealogiâ ex antiquo mser. libro Archiui Brawilerensis, ipsiusmet manu  
 R. & eruditissimi D. Prælati IOANNIS MVNCH Abbatis fideliter descri-  
 ptam & mihi singulari certè Publici beneficio cōmunicatâ hic subijcio.

HERMANNVS COMES PALATINVS cognomento

*Puillus, non mediocri inter Magnates Ottonis I. Imperatoris reputa-  
 tionis. Pugnauit pro Imperatore contra Vngaros, locum Bravvi-  
 ler hominibus habitabilem primum fecit.*

B Helivviga vxor. Hinc descendunt Fundatores Brawilerenses.

Ezzo vel Erenfridus Comes Palatinus apud con. anguineum suū  
 S Vdalricum Episcopum Augustanum, etate iuuenis aliquamdiu  
 vixit, ac ramusculum media hyeme in eiusdem Sancti manibus vi-  
 rescentē & florentē in itinere, ex equo desiliens assumpsit, eumq; se-  
 creto diligenter conseruaum. sponse sue Mathildi postmodū obtulit.  
 Apud Ottonem I. Imperatorem iam senem, locum patris obtinuit,  
 eiq; charus fuit, vti quoque Ottoni Imperatori II. cuius tandē gener  
 factus est. Theophania Imperatrici & Ottoni III. à consilijs fuit, dūq;  
 cum Lotharingis S. Henrico II. Imperatori obiteretur, Ducē Mo-  
 sellanum Theodericum iuxta Odernheim in prælio captum, ad ca-  
 stram suam Thonaburg cum alijs abduxit, quos Imperator redemit,  
 ac consultius putauit, virum egregium beneficijs placare, quam  
 molestius vllis molestare, amicitiam eius expetijt, quam consecutus,  
 Insulam S. SVIBERTI, Duisburgum & Salefeldt ei pos-  
 sidentia largitur. Fundauit hic strenuus vir cū coniuge sua Mo-  
 nasteriū Bravvilerense Anno 1024. in quo opere B. Poppone Ab-  
 batē S. Maximini & S. Remaci directorē adhibuit, ac dedicationē  
 primā per Archiepiscopū Piligrimū an. 1028. fieri curauit. Octo-  
 genarius tandē in Salefeldt 12. Kal. Iunij anno 1034. obiit, eiusq;  
 corpus ad Monasteriū Bravvilerē delatū ab eodē Piligrimo iuxta  
 corp<sup>o</sup> dilectæ cōiugis sue, sepultū est. Vxor Ezzonis B. Mathildis  
 Ottonis II. Imperatoris filia, & Ottonis III. soror, in Monaste-  
 rio Essndiensi ab Amata sua instructa est, obiit 20. Nouembr. anno  
 1024. Cuius exequijs Piligrimus Archiepiscopus cum Clero Colo-  
 nienfi per tridū inter fuit, ad sepulchrum eius contigerunt miracula.

Hezelinus Comes Pa-  
 latinus Pradium suum  
 Bercheim, cum medie-  
 tate Sylua, qua præ  
 magnitudine sua Vele  
 (die Velle) dicitur,  
 Monasterio Sancti  
 Cornelij Indensis de-  
 dit. Aliam vero ne-  
 moris partem frater  
 eius Erenfridus Mo-  
 nasterio Bravvi-  
 lerenfi contulit.

Henricus Comes  
 Palatinus filius, hic  
 à Nepte sua Riche-  
 za Polonia Regina  
 accepto castro Co-  
 chem cum oppido  
 adiacente primus  
 defensor seu Ad-  
 uocatus Pradij sive  
 territorij Clottensis,  
 factus est.



Ludolphus comes Zutphaniz, Primipilarius seu signifer Archiepiscopi Coloniensis, tribus annis ante obitum patris mortuus, in Monasterio Bravvilerensi sepultus est. Vxor Mathildis filia Ottonis Comitis Zutphania.

Henricus Comes Zutphanie, post breue tempus mortuus, in Ecclesia Bravvilerensi, ante cryptam inter duas columnas versus Aquilonem apud Patrem sepultus est.

Cano Dux Bauariæ. Hic post Patrem & fratrem Aduocatiæ Territorij Bravvilerensis primus habuit præter Ducatum Bauariæ, quem ab Imperatore Henrico tertio recepit. At cum eiusdem filia nubere contempserit, Ducatu exutus est. Qui cum postea contra Imperatorem (auxilio fretus Vngarorum) bella gereret, veneno extinctus ac post aliquot annos, per Annonem Archiepiscopum Coloniæ translatus, in Ecclesia Beata Maria ad Gradus sepultus est.

Otto Dux Sueuorum. Vir statura procerus, dum esset comes Palatinus Imperatori Henrico Cōradi Imperatoris filio fideliter adhaesit, ac pro ipso laboriosissime decertauit, vnde Imperator accepta ab eo Insula S. SVVIBERTI & Duisburgo Sueuorum Ducatum ei commisit, Henrico Patris eius filio ad Palatii officium substituto, sed post tres annos Otto in Thonaburg 7. Idus Septembris obiit, cuius mortem Archiepiscopus Coloniensis Hermannus frater eius Xantis coram Imperatore ad expeditionem Flandrensem accincto exhortationem ad plebem faciens, cum cognouisset, flebili voce finem allocutionis fecit & oēs ad lamenta incitauit. Missusq; est Bruno Episcopus Tullēsis (postea summus Pōtifex factus & Leo IX. vocatus) vt eū in Bravviler sepeliret. Exequiis eius soror Richeza Regina Polonia multum tristis interfuit, ac eodem die omnē ornatū suū, & pretiosa quæq; in diuinos impostum commutanda cultus principali altari imposuit, acceptoq; à prædicto Episcopo sacro velamine, caput obnubit sibi, sepulturā iuxta Fratrem fore disposuit, suorumq; fidē, super hoc, quod idipsum superstites ipsi fideliter cōpleat, exposcit, & vt id ratū foret literas desup cōfectas, pprioq; sigillo munitas, Monasterio Bravvil. dedit.

Hermannus Archiepiscopus Coloniensis. Nobilis dictus. Cum regnare capisset Henricus Conradus Imperatoris filius, exorta contra eum Godefridi Ducis ac Balduini Comitis inuidia, multa passus est aduersa, quæ quædam cum difficultate, Hermannus tamē Archiepiscopo & Fratre eius Ottone, quos præ omnibus suis semper laboris & gloria consortes habuit laboriosissime secum decertantibus & gloriosissime adiuuantibus, superauit vniuersa.

Hic Archiepiscopus instituit celebrari festū S. Vdalrici Episcopi in Ecclesia Coloniensi, propter miraculum præcipuè Ramusculi, quem pater suus Erenfridus olim supra natura ordinē, in manibus eiusdem Sanctissimi Antistitis efflorentem, proiectū in terram, collegerat.



B. Richeza Regina Poloniæ Mifeconis Cöiunx. genuit B. Cazimirū Monachū Cluniacensem Ord. S. Benedicti, & Diaconū. postea dispensatione S. Pötificis Polonia Regē. Hac ppter pellicis instigationē ex Polonia ad Imperatorem Conradū in Saxoniā fugit. Dedit Coloniesi Ecclesia Salafeldt & Coburg, acceptis à S. Annone Archiepiscopo vsufructuariē possidēdis Dominicus sui Villis: Vnkelo, Mossendorf Muttershheim, Blatzheim, (& uti videtur Zons, Vreisheim &c.) donationem vero S. Nicolao seu cœnobio Bravvileresi, à parētibus suis factā, non solū ratā habuit, verū etiam de suo patrimonio plura bona adiscit &c. Clottenum tamen vsufructuariē sibi reseruauit, postquā proprietatem Abbatis & Monasterio Bravvilerensi cōtulisset. Item ex eius muneribus & thesauris Monasteriū nouū, destructo veteri, validioribus fundamētis edificatū est, cuius Ecclesiā S. Anno Archiepiscopus presente etiam Engelberto Episcopo Mindensi, denuo consecrauit 3. Kalen. Nou. Ann. 1061. sub Tegenone Abbate secundo.

Aliud quoq; Monasteriū eius sumptibus constructū est p. Alberonē Episcopū Herbipolensem in loco, vbi S. Kiliani sociorumq; eius sacrum extat martyriū, vtpote cuius Episcopū ex eiusdē Regina numerosa familiarū clientela cum omnibus, qua ad oppidum Saltzo pertinent, regia prorsus munificentia adauctum est. Præterea pro commodo suo sacellum in Clotten construi fecit, quod appellabatur Reclusoriū Dominarū.

Mortua est in Salafeldt 17. Kal. Apr. An. 1067. & Colonia in Ecclesia ad Gradus S. Mariæ sepulta, licet certō & aliquoties sibi sepulturam apud Parentes in Bravviler elegerit. Sed exinde postea, & alias ob causas, exortam litē, Hermān<sup>o</sup> III. Archiepiscop. cōposuit & decidit, diplomate Ann. 1090. Indict. 13. dato, teste inter alios Adolpho de Mōte,

Adelheidis Abbatissæ Monasterij Niuellensis, sepulta in Ecclesia Bravvilerens, ante Altare B. Mariæ Virginis in crypta.

Theophanu Abbatissa Essendiensis Monasterij XIII. qua virum se moribus agēs, Essendiense Monasteriū cū vniuersis officinis iam partim vetustate collapsis, ab ipsis fundamentis nouo erigens opere, mirabiliter amplificauit, vnde & ibidē eius memoria semper in benedictione erit. Fuerat Præposita in Rellinghausen, obiit 5. Martij, sepulta ante Altare S. Iacobi Essendiaz.

Heilewigis Abbatissæ Monasterij S. Quirini in Lusit.

Mathildis Abbatissæ Monasteriorum Dedelkirchen & Vilich.

Ida Abbatissa Monasterij S. Mariæ, quod est Colonia, cui ad sepulchrū BEATITATIS Titulus adscribitur. Hæc à Trithemio, in Francofurtensi apud Wechellos editione, appellatur Wilichalda; errore librariorum composito vocabulo ex nomine Vilich quod præcedebat (vbi Mathildis scribebatur Abbatissa) & ex ipsius quod subiūgebatur IDÆ nomine.

Sophia Abbatissa Monasteriorum S. Mariæ Moguntia & in Gandersheim.

29



Vbienses comites qui? Reuertamur nunc ad Hermanni Montensis seu Altenani familia, de qua illud moneo eam à clarissimo p.m. Stephano Bruilmano Iuriconsulto & historico Coloniensi vocari etiam COMITVM VBIENSIVM. Nam de S. Godefrido Cappenbergensi agens, ait, illum à quibusdam (*sed erroneè*) asseri Altenanum; id est, ex veteri Vbiensis Comitum familia. Quare illi Hermannus nuncuparetur Aduocatus Tuitiensis & Adolphus Comes Vbiensis. Qua ratione autem & ex quibus literis hoc asserat, nec dum satis assequor, nisi dicas castrum Tuitiense fuisse quasi caput & clauem ciuitatis Coloniensis. Minimè satisfacies, si Aduocatos Colonienses, è quibus & Hermannus aliquis sæpius asfertur, velis etiam Aduocatos Tuitienses. Nam illi Comites sunt in Nevvemar; hi verò de Monte, vt pluribus iam supra demonstratum est.

Aduocati Colonienses qui? Ex his omnibus fabulosam esse concludo Comitum de Altena, originem, quasi sint ex Vrsinis oriundi, cum ex Aduocatis profiscantur Tuitiensibus, ex quibus, vt iam vidimus, Hermannus viuebat sub Ottone II. Imperatore; At si fuissent Vrsini, iam non sub Ottone II. sed III. vixissent; eo quod cum Ottone III. ex Italia in has Prouincias dicantur migrasse. Commento tamen priori occasionem existimo datam ex Vrsini homonymia. Vrsos enim & Vrsinos appellant frequentissime Transhenani, qui & parta tuentur & ea omnino non vel ægre sibi eripi patiuntur, exemplo Vrsi, qui infanteu vel hominem complexu suo coercitum vel nullo modo vel difficulter sanè dimittit. Ita dum hos duos fratres à castri Altenani ædificatione remouere, aut in eius consummatione impedire non possent vicini Comites, ab ipsis Vrsinos existimo fuisse appellatos.

Altenanum Vrsini? Commento tamen priori occasionem existimo datam ex Vrsini homonymia. Vrsos enim & Vrsinos appellant frequentissime Transhenani, qui & parta tuentur & ea omnino non vel ægre sibi eripi patiuntur, exemplo Vrsi, qui infanteu vel hominem complexu suo coercitum vel nullo modo vel difficulter sanè dimittit. Ita dum hos duos fratres à castri Altenani ædificatione remouere, aut in eius consummatione impedire non possent vicini Comites, ab ipsis Vrsinos existimo fuisse appellatos.

PAGINA 13. Beatum inscripsi EVERHARDVM, idq; ex Menologio Cisterciensis; Ita enim inquit: Tercio decimo Kalend. Aprilis die 20. Martij, in Germania Beatus Euerhardus ex Comite Montensi Monachus Cisterciensis, qui post multas peregrinationes, & humilem vitam, quam in Morimundo ignotus egerat, agnicus, & in patriam directus, ibidem ordinem nostrum propagauit, & cum magna sanctitatis opinione diem clausit extremum.





**A** **E**ADEM **P**A<sup>6</sup>. B. Euerhardum putat aliquis vocari Gerardum, sed ex Arnoldus vitio puto descriptoris. Nam in manuscrip. Marckanorum Comitum, Gerardus legitur, qui paulo post in iisdem Euerhardus nuncupatur. **A**rnoldus Archiepi-  
Huic num Arnoldus Comes de Altena 42. vel secundum Chronica **C**oloniensis. scopus **C**oloniensis.  
**C**oloniensis, 40. Episcopus Coloniensis fuerit frater, an fratris filius, nō satis reperi. Fuit is quintus ante B. Brunonem III. & Videtur aneum in S. Seuerini choro donasse candelabrum, cui hi inscripti versus:

*Præsulis Annonis memor Arnoldus iunioris,  
Supplicat, vt cœlis micet ipse lucerna fidelis,  
Et precibus teneat, quem Præpositum faciebat.  
Sit sibi conciuis inter candelabra lucis*

**B** *Prò quis corde pio miti dat & hoc secundo.*

**P**A<sup>6</sup>. item 13. litera D. Adolphus filius, de quo iam egimus, non fuit idem, qui Adolphus Brunonis III. Pater, nec **P**A<sup>6</sup>. 14. Beatus Bruno III. fuit Adolphi frater. Nam à Cæsario, qui vixit tempore S. ENGELBERTI lib. 2. vitæ S. ENGELBERTI cap. 8. traditur Monasterium Montense, cuius iam meminimus, ab ENGELBERTI PROAVIS fundatum. At vero si Adolphus ille idem fuisset, qui B. Brunonis III. Pater, iam non Monasterium à Proavis, sed ab Auis diceretur fundatum. Quod Cæsario illius temporis scriptori aduersaretur. Deinde nec Bruno II. idem **C**est, qui B. Bruno III. Nam Bruno II. defunctus est Papiæ, seu vt habent mscr. Germanici Pavey in comitatu Lotharij Imperatoris, versus Apuliã ann. 1138. atq; inde volunt mscr. in nostrũ veterẽ Montẽ translatum B. Bruno vero tertius nō illas penetravit terras, sed abdicã se Episcopatu, sub Ann. 1193. Religiosã in veteris Montis Abbatia professus est vitã, vt tradidi pag. 19. lit. D. & conspirant mscr. Accedit quod Fridericus II. Archiepiscopus Coloniensis Brunonem II. de Altena, vt testatur Trithemius ad Ann. 1131. & quondam S. Gereonis Præpositum, vocet **P**A-  
**D**TRVVM SVVM in Archiuo Knechtst. sub Ann. 1158. Fridericus autem cum B. Brunone III. nuncupatur à Cæsario lib. 1. vitæ S. ENGELBERTI, cap. 2. patrius S. ENGELBERTI: sicut & ibidem Adolphus Archiepiscopus, qui Brunoni successit, patri perhibetur filius. Vnde Bruno II. S. ENGELBERTI fuit vel Auus vel Aui ipsius frater. Non auus Episcopus enim cõtinens erat, & auus adsignatur Adolphus. Aui igitur fuit frater.

**N**B. Bruno secundus fuit, cui de Episcopatus susceptione rogatus Sanctus Bernardus respondit epist. 8. 9. & 10. In manuscripta Brawilerensium, Abbatum historia folio 121. hæc ferè habentur. *Adolphus Ar-*




chiepiscopus, qui fuit filius fratris Brunonis III. Archiepiscopi Coloniensi, consecrauit Anno M. CC. XX. Altare Sanctarum Virginum in crypta, quod olim erat Altare S. Thomæ Apostoli, vbi obseruet velim Lector, Adolphum exauctoratum B. ENGELBERTI vices in pontificalibus interdum egisse, quod idem de Theoderico exauctorato aliquando reperi.

PAGINA 14. Bruno III. Altenanus Coloniensium Antistes inter Beatos numeratur ab allato iā Menologio ad diem 8. Kalend. Maij, id est 23. Aprilis: ita enim ait: In Germania Beatus Bruno Archiepiscopus Coloniensis, qui ex illustri Comitum sanguine procreatus, vt generis nobilitatem redderet nobilitatem, dignitate & diuitijs contemptis, in veteri Monte habitum Cisterciensium induit, & in magna sanctitate vitam finiuit.

Fridericus de Altena pater Adolphi Marcani.

Eadem pag. Fridericus Altenanus IV. notatur parens Adolphi primi Marckani, qui Marckam arcem à Rabbaldo emit, Hammonam Blankensteiniumque condidit, vt author est Godefridus, persona Colindromij ætate sexta, cap. 60. Et illustrissimus Comes de Stirumb in sua Genealogia manser.

PAGINA 14 lit. A. Euerardus pater nuncupatur Arnoldi & Friderici. Nam Philippus Archiepiscopus de institutis Monasterijs Breidlarienti, & Scheidano sub ann. 1170. inter reliquos testes subiicit Comitum Euerhardum cum filio suo Arnolde. Ita enim ait: Huius rei testes sunt Dominus Euergisus Paderbornensis Episcopus, Sisfridus maioris Ecclesie Præpositus, Almarus eiusdem Ecclesie Decanus, Vffo Subdecanus, Bernardus Capellanus, Monegaldus Canonicus, BRVNO PRÆPOSITVS, maioris domus in Colonia, Hugo eiusdem Ecclesie Decanus, Vvedekindus Subdecanus, Arnoldus Osnaburgensis Præpositus, Didericus Canonicus SANCTI PETRI in Colonia, Abbas Silberbergensis Nicolaus, Abbas de Grasschafft, Abbas Vffo de Flechdorp, Henricus Comes de Arnsberg, Comes Otto de Rauensberg, & Hermannus filius eius. COMES EVERHARDVS, & ARNOLDVS FILIVS EIVS. Comes Henricus de Frotzberg, Bernardus de Lippia, Conradus de Rudenberg, Rabo de Marcka, Henricus de Yure, Gerardus Aduocatus de Colonia, Henricus de Volmundstein, Hermannus Camerarius





*merarius Episcopi, Richexo de Molenheim, Hermannus de Vnterbecke, Euerhardus de Padberg, Ludolphus & fratres eius, Henricus, Ioannes de Gotener, Thinc de Susato, & Adelbertus, & Hildegerus Villicus Brunstein.*

Idem confirmat Philippus in literis suis de anno 1173. quibus donationem Gotthardi & Henrici Dominorum de Hagnen, Ecclesię Scheidanæ factam stabilit; testes enim laudat Euerardum Altenanum cum filiis suis Arnolde & Friderico. Nam dum *authoritatis suæ robur adiicit, præfentes dicit fuisse testes, præter eos quorum nomina legi non potuere; Præpositum Cappenbergensem, Reinerum Præpositum Arnsbergensem, Gerardum Sacerdotem & Canonicum S. Syviberti, Hugonem Abbatem Graffschaffianum. Liberos verd & Nobiles Henricum Arnsbergensem, Hermannum Rauensbergensem, Euerhardum Altenanum, cum filiis Arnolde & Friderico Comitibus, Bernardum de Lippia, Conradum de Pödenberg, Henricum Muntzun & fratres eius, I & B. ministeriales, Henricum de Volmundstein, Timonem, Hermannum Consulm Susatiensem, Gerardum fratrem eius Aduocatm Coloniensem, Peregrinum de Arnsberg, Fridericum de Crispen, & quam plures alios.*

Rursus in literis, quibus sub ann. 1174. Philippus Monasterij Wedinghausani foundationem approbat; testes afferuntur Comes Arnoldus, Fridericus ipsius frater Comes de Altena. Acta sunt hæc Dominica Incarnationis, centesimo, septuagesimo tertio, Indictione sexta, regnante Magnifico Friderico Imperatore, & commissa in manu fratris Reineri, quem ad hoc elegimus coram his testibus. BRVNO PRÆPOSITVS MAIORIS ECCLESIAE, Sifridus Præpositus Xantensis, Ioannes Præpositus Seulecensis, \*Vffo Abbas de Graffschaff, \*Zeslicensis, Albertus Sosatiensis Ecclesia Decanus, Gerardus Custos, Gerardus Sacerdos de Insula Sancti Syviberti; Liberi homines & Nobiles. COMES ARNOLDVS FRIDERICVS IPSIVS FRATER COMES DE ALTENA. Henricus de Vore, Conradus de Rutenberg, Engelbertus Munzum, Helyas frater eius, Henricus de Herrike, Bernardus von der Lippia Ministeriales, Gerardus Aduocatus Colonienfis, Hermannus frater eius, Thiemo de Suosat. Leonius de Hulse, Ioannes filius eius, Hildigerus Brunsthenus, & alij quam plures. Datum Susatio III. Kalend. Martij. Illorum frater & filius Euerardi fuit Adolphus Archiepiscopus exauthoratus ex illustissimi D. Comitibus de Stirü, & altera Genealogia, quin idem attestantur Marckanorum manuscr. Et confirmat eruditissimus vir Kleinsorg. ex Leouoldo de Northoff in Chron. Com. Marck. Trith. in Chron. Hirsaug. & antiquis documentis, Colonia tamen Chronica, quæ affert, alia quidem ab ipso allata confirmant, non verò quod Adolphus filius fuerit Euerardi. Tradunt enim



Aedificatio  
Landskrone  
ab alijs tri-  
buitur Phi-  
lippo Regi.  
\* Vide pag.  
123. supra  
lit. C.

cum fuisse Brunonis III. Postea Veteris Montis religiosi; fratrem. Hic vero Adolphus Archiepiscopus. ut ait Comes de Stirumb, ædificauit castra Landskrone super aræ fluminis oram, atque Isenburg Ruræ incumbentem, quod, uti ipse addit, Euerardo \* fratri suo primo Comiti de Isenburg assignauit. Cuius sit metio in literis de an. 1207. Nec quis dicat in quibusdam diplomatibus afferuntur, Fridericus & Arnoldus, & dicuntur filij Euerardi; Non verò id asseritur de Adolpho, licet ipse in iisdem nominetur. Nam id mirum non est, quia Adolphus inter Ecclesiasticos numeratur testes: Fridericus verò & Arnoldus inter sæculares. Vnde cum non ille, sed hi proximi parenti ponantur, ipsi quoque, & non ille, nuncupantur filij. A

PAGINA 14. Vxor Arnoldi Comitis Altenani & Isenburgici, fuit filia Ducis Limburgensis. Nam Cæsius hic lib. 2. cap. 1. Fridericum representans ait; Consobrinus sum Theoderici Comitis Cliuensis. Si Consobrinus, iam mater ipsius Friderici & Mater Theoderici sorores, filia erunt vnius parentis. Theoderici autem Cliuensis Comitis mater fuit filia Henrici Ducis Limburgensis (quã in linea Genealogica omisi) ut habent manuscripti Cliuenses Germanici in Arnoldo IV. Ita enim inquirunt. *Arnoldus IV. Comes Cliuia XX. rexit 13. annis, vxor eius Catharina Henrici Ducis Limburgensis &c.* Cui consentiunt & alij manuscripti Cliuenses, qui expresse tradunt eam filiam fuisse Henrici Limburgensis, licet in ipso Henrico aberrent, nepotem pro auo accipientes. Nam ita ex illis prior inquit, *Arnoldus IV. Comes Cliuia XX. rexit 30. \* annis, vxor eius Catharina Henrici Ducis Limburgensis & Comitis de Monte filia, ex qua suscepit Theodorum (seu Theodericum) VII. successorem suum.* Ita & alius manuscriptus ex veteris Montis Monasterio. *Arnoldus Comes Cliuensis XX. annis gubernauit 10. Friderico secundo imperante, vir in Deum deuotus, in egenos largus, in subditos clemens, atque in bellis victoriosus. Cui nobilissima Catharina Henrici Ducis Limburgensis & Comitis de Monte, filia Henricum peperit successorem &c.* B

Manuscr. tamen Gerardi de Horreo vxorem Arnoldo Cliuensi tribuit N. Adolphi Comitis Montensis filiam, quam illustissimus Comes de Stirumb Præpositus Metrop. in sua Montensi Genealogia non agnoscit, neque alia manuscr. Genealogia. Error huius Gerardi de Horreo videtur ex prioribus natus authoribus, quod illis dicatur Comitis de Monte fuisse filia, Comes autem ille non erat Adolphus, sed Henricus Limburgensis. Verum hic Henricus non potuit esse, ut iam monui, filius Waltami, qui audit & Comes Montensis, sed debuit esse C  
Waltam. D



Walrami parens, qui Comes de Monte, haud vnquam fuit nominatus. Nam si Henricus allatus fuisset filius Walrami, nec illius parens, iam Arnoldi filius Fridericus diceretur duxisse matris suæ sororem; Quod peregrinum foret à moribus Christianis. Lazius more suo solemnem errat errorem. Vult enim Arnoldum hunc III. fuisse & ex filia principis Bauariæ Theodericum VI. genuisse.

EADEM PAGINA, Fridericus Marckanus seu Altenanus dicitur duxisse Elisabetham Hannoniæ Comitis filiam. Ita enim testatur manuscriptus posterior ex vetere Monte; *Fridericus, inquit, Euerhardi filius, Comes de Altena IV. annis rexit 15. genuitque ex filia Hannoniæ Comitis Elisabeth Adolphum sibi in dignitate comitantem* &c. Idem testatur Reuerendissimus & illustrissimus Comes de Stirumb Præpositus Metropoli. in Genealogia, quam sua scripsit & depinxit manu: ait enim, *hat zur Ehefrawen Elisabeth des Grauen von Hennegaw dochter / id est; Vxor ipsi fuit Elisabeth Hannoniæ Comitis filia.* idem iisdem verbis tradit altera Genealogia Comitum Alrenanorum manuscr. Manuscr. tamen prior tribuit illi N. de Lipp, quam duxerit circa ann. 1219.

Ibid. Arnoldus Altenanus constituitur parens Friderici Isenburgici, vt constat hic ex Cæsario, lib. 1. c. 1. pag. 122. & Ottonis Monasteriensis & Engelberti Osnaburgensis Episcoporum, vt constat ex Cæsar. hic lib. 2. c. 1. si iungantur, quæ traduntur pag. 175.

Ibidem Friderici Isenburgici vxor fertur filia Walrami Ducis Limburgensis; quia Cæsarius lib. 2. cap. 1. manuscript. vocat Walramum Friderici *socerum*; licet Surius dicat *affinem*, non exprimens, quo genere affinitatis coniunctus fuerit, attamen lib. 2. cap. 9. cum manuscr. omnibus vocat eundem *socerum*.

EADEM PAGINA Adolphus Archiepiscopus Euerhardi filius est, qui ciuitatem Ruden ædificauit; sed Adolphus filius Friderici, qui Blanckenstein, &c. extruxit; primus Comes Marchiæ à Gobelino, persona Cosmodromij ætat. 6. cap. 60. vocatur.

PAGINA 15. Agnes nupsit non Adolpho; ipsius enim vxor fuit N. Spanheimia, sed Henrico de Windeck, vt infra lib. 2. cap. 12 pag. 169. ostendi. De fratre eius Gerardo hæc notat D. Miræus, quod fuerit Dominus de Recken. Cuius liberos describit Pontus Heuterus in suis tabulis Genealogicis, post historiam Ducum Burgundiæ à Plantino editam, vbi & describit Stemma Marckanum. Vide Andream du Chesne in Genealogia Ducum Limburgensium & alios.



PAGINA 19. Philippi Hinsbergici insignia retuli, prout ea Mausoleo reperi inculpta; licet à Colonientium imagine flammulæ abessent inferiores, quæ cœlatoris culpa irreperunt. Alioqui Hinspergensis familiæ imagines repræsentant leonem argenteum in rubro clypeo seu, ut vocant campo prout ab Amico moneor.



PAGINA 23. Engelbertum Tolbiacensem nominavi Beatum auctoritate Menologij Ordinis Cisterciensis ad diem 22. Decembris ita inquentis.

Tulpeti in Germania B. ENGELBERTVS cæcus quidem à natiuitate, sed multis & admirandis gratijs illustis: qui habitu conuersorum Cisterciensium assumpto & nostrorum Monachorum se subiiciens regimini, vitam rigidissimam e- git, spiritu prophetico clarus, multa futura prædixit, cœlestes visiones videre meruit, & post multa sanctitatis opera, infirmitate oppressus, animam purissimam reddidit creatori, cuius gloria Beatæ Afzelinæ reuelata est.

PAGINA 30. lit. B. à Ponto Heutero Delfio in notatione ad Genealogias Cluua & Geldria astruitur Marckani Comitatus initium ad annum Christi 1122.

EADEM PAGINA, Ex Crantz. 7. Saxon. c. 23. asserueram Adolphum Archiep. Colonensem opere & studio VVilhelmi Comitis Iuliacensis ab Ottone alienatum fuisse; Quod tamen Streithagenus in dubium vocat, maximè cum Godefridus Monachus Walramum Henrici Ducis Limburgensis filium omnium malorum, quæ Germania passa est, Ducem & Authorem vocet, & Cæsarius lib. 5. cap. 37. ei plane consentiat; non tacituri utique, si Wilhelmus de eadem leuitate infamatus fuisset, sed de hoc ille latius in suis Iuliacensibus, Trithemius verò cum Godefrido Pantaleonita in Chronic. Hirsaugien. anno 1202. mutationem Adolphi Archiepiscopo Treucrensi, Spirensi ac Constantiensi Episcopis adscribit, promissis ei Ander-



A Andernaci nouem millibus marcarum, ac fundis Salefelt in Thuringia restituendis, qui ipsi antea fuerant bello ablati.

PAGINA 39. ANNO 1205, in celebri curia Spiræ cum Principibus ha-  
bita, Philippus Sueuus auctore Adolpho Episcopo exauctorato de-  
creuit bellum contra Colonenses; quod ex Pontificis iussu, Brunoni  
adhærent, atque Adolphum prioribus honoribus restituere, restitu-  
tisque omnibus se illi sacramento obligare detrectarent. Vniuersas igitur  
ante & circa mœnia arces, & quidquid erat munitionis, ferro & incendijs  
vastabat, urbem Colonensem exercitu propius muros admo-  
to arctius premere conatus, cinxit eam fossa, vallo, & aggere maximo,  
B omnemque præclusit aditum inuehendi commeatus, quin Rhenus ipse  
infra & supra clausus negabat ullam mercium nauigio inuectionem.  
In Tuitiensis castri munitione statua sua habebant Comitum Adolphi  
de Monte sagittarij & milites, qui ex DOMO COMITIS frequentibus  
urbis incolas petebant sagittis, ipsorumque aures varijs verberabant  
conuicijs, quibus incitati ciues, maximis in medio Rheno adornatis  
nauibus, propugnacula hostibus obiciebant, plurimosque in ijs  
ponebant balistarios ac ordinum ductores, quos Sariantos vocat Godefridus;  
hostili exercitui fortiter resistentes. Quin & nauigijs ab omni re  
C necessaria instructis, euersionem, depopulationem, vastitatem, omnibus  
ipsius villarum tectis atque agris Rheno proximis inferebant, varia  
belli alia ad annum integrum & dimidium vtrimque iactabantur.  
Tandem post celebrata B. Virginis natalitia maximo cum exercitu  
coacto, Philippus Mosellam transuectus Coloniam ibat, cuius mœnia die  
B. Michaeli Archangelo sacrata, vi atque impressione aggredi cœpit,  
ac postera die tota ex tentorijs ad caput ciuitatis fixis continenter  
quidem ciuitatem imperabat, sed à ciuibus fortissime fuit repressus.  
Denique cum in continuis quinque dierum impressionibus magna  
Philippi militum & maxime equorum strages ederetur, nihilque  
D ueretur, ipse spe potiundæ breui urbis abiecta, solutaque obsidione,  
cum vniuerso exercitu Nouesium discessit, quod & expugnauit;  
Godefr. Mut. A Philippi discessu Otto à morbo recreatus suum reparauit  
exercitum, ac ope Colonensium, loca à Philippo & Adolpho Episcopo  
occupata, ciectis præsidiarijs recuperabat. Mut. ipse Episcopus  
exauctoratus vix medijs elapsus Colonensibus, ad Philippum penetrabat;  
Qui accepta Colonensium excursionem mox recuperata loca à  
Colonensibus extorqueré, ac copias suas anno 1206. Coloniam redu-

Expedi-  
tio  
Philippi  
contra Co-  
lonenses,

Colonien-  
siū virtus.



Prælium  
Wassen-  
bergense in-  
ter Ottonē  
& Philip-  
pū.

Colonia  
deditur  
Philippo.

Godef. Mut.

cere, civitatemque pro magnitudine exercitus sui, aggre re circumdare, passim auxiliares fœderatorum suorum copias evocare. Totam enim urbem operibus cingere cupiebat, ut Ottonem Imperatorem & Archiepiscopum Brunonem iam consecratum à Sifrido Moguntino adhuc præsentem & duobus Episcopis Anglis (quod Germani Philippum time- rent) conclusos teneret. Ob auctum in dies singulos exercitum Philippi ac vias obsessas, Otto videns sibi magis ac magis incluso spem elabendi non superfore, statuit hostilem aciem perumpere. Egressus igitur ipse urbe & Archiepiscopus Bruno cum 400. (*non cum 4000. ut habetur supra pag. 39.*) Equitibus & duobus millibus peditum ductore Hénrico de Limburg (qui iam in Philippum inclinabat, teste Crantzio 7. Sax. B cap. 26.) versus castrum Wassenberg atque in palustria loca seductus, unà cum suis fuit circumventus. Quadringenti militum retrorsum fugâ labentium teste Crantzio dict. loc. à persequentibus Philippi militibus sunt cæsi, plurimi capti, reliqui auctore Godefrido omnibus, quæ secum attulerant, armis, vestibus exuti. Ipse Otto, ut tradit Crantzius, vulneratus recepit se cum Episcopo in arcem Wassenberg, ex qua clam noctu cum Ducis Limburgensis filio, vel ut ait Godefridus, cum tribus tantum socijs, aufugit Brunopolim, indeque in Angliam commigravit. Priusquam tamen in Angliam se reciperet, egit auctore Henrico de Kalentin cum Philippo prope Coloniam, ut sequenti pag. 40. significabo. Hic non nihil corrigendus est Mutius lib. 19. Chron. ita differens: Otto per ambitum civitatis, eruptione facta, prorumpit quidem fortiter per hostes, & occidit multos; sed Philippi copiarum numero superiores multo (quamquam vix sexta copiarum pars eo loco esset) fugientem Ottonem prosequuntur, & vix dimidia pars, qui comitabantur Dominum, evasit. Alij enim capti sunt, alij occisi. Nam Godefridus, qui ea ætate haud procul à loco prælij degebat, aliter, ut iam vidimus, refert; proinde huius potius quam illius existimo credendum esse enarrationi. Sed reliqua prosequamur. Altera luce Archiepiscopus Bruno à milite circumfuso in arce captus, ac manicis ligatus ferreis Herbipolim est ad vincula annua abreptus Crantzius d.l. Coloniaenses suam muniebant urbem, diligentiusque in mœnibus disponebant propugnatores. Quo cognito Philippus, de capienda impræsentiarum Colonia desperans, discessit observaturus, quid Otto moliretur. In ascensu montem Gimnich occupat, castroque iuxta Regiomagum excitato Coloniaenses infestat. Godefrid. Qui cum se viderent toti imperio esse odio, ac nusquam tu-



ros extra mœnia, omnibus ferè in potestatem Philippi redactis, consilio & opera Ducis Brabantiae, ad quem legationem miserant, Philippo Boppardiae seu Bodebrigæ reconciliati, se illi dedidère. Atque ita intelligendi Wimpfpling in epitome rerum Germanic. cap. 34. Paul. Lang. Monachus Bozauiensis ad ann. 1206. Fragmentum historicum ad annum 1201. &c. dum volunt urbem Colonensium captam, quod & circumstantia superius de Brunone allata suadet.

Porro Henricus de Kalentin, cuius hic & superius facta mentio, qui Ottonem à Vvicelsbach, Philippi Suevi Ducis sui occisorem in castro Niderstrang propè Ratisponam interemit, Præfectus seu Marschallus fuit Sueviæ & Imperialis aulae, filius Henrici primi de Kalentin & Pappenheim (de quo vide diplomata ipsius & Henrici VI. Imperat. sub annum 1197. apud Lazium) prognatus ex Anna unica Alberti de Bieberach & ultima filia, cum qua dotis nomine ex Henrici VI. Imperatoris Approbatione, ipsius parens accepit Dominium Bieberach. Fratres ipsi fuerunt Vdalricus & Hildebrandus Marschalli de Rechperg

Familia de  
Kalentin  
& Pappen-  
heim.

(à quibus reliqui Marschalli de Rechperg descenderunt)

Sigefridus Episcopus Augustanus, Rudolphus Marschallus de Calentin & Pappenheim, à quo Marschalli de Pappenheim, Biberach, Oberndorff, & Riechen, ad hæc usque tempora nostra sunt profeminati. Vixit ex illis ætate nostra Illustrissimus &

Excellentissimus D. HENRICVS GODEFRIDVS à PAPPENHEIM bellica gloria celeberrimus, qui cum excellentissimo & pientissimo D. TILLIO Magdeburgum urbem munitissimam post trium mensium oppugnationem ad 13. Kalen. Iunij, ann. 1631. vi cepit & oc-



Rr 2

cupauit



cupavit. Demum post cladem Lipsiensem aliasque acceptas calamitates exiguo cum comitatu ex superiore Germania in VVestphaliam descendit, collectisque trium circiter millium copijs Magdeburgum anno 1632. in Ianuario Suecica obsidione liberavit, sed educto militi nostro, Suevicus eodem vespere successit, qui valla disiecta domosque exustas reparat. Lemgouenses quoque ac Bileueldienses Pappenheimius noster pactis & imperatis nummis Imperatori subiecit. Inde devictis 15. Martij apud Hoxariam Hassis, Erisburgum firmissimum Diœcesios Hildesiensis castrum, & Eimbecam ducatus Grubenhagiensis Metropolim deditioe accepit, sub eiusdem mensis finem, caesa vna Luneburgicorum legione, Sturwaldiam arcem vix centum passibus B Hildesio distantem obsidione leuavit, ac proximo insequenti Aprili, capto Rheto, Rotenburgo firmissima Diœcesis Verdenensis arce, Stadam urbem Diœcesis Bremensis haud procul ab Albi diuinctam, eaq; munitissimam obsidione exemit, quæ tamen mox educto milite nostro, Suecis se contra fidelitatis iuramentum, quo se Cæsari obstrinxerat, voluntarie dedidit. Labente Iunio multa in Hassis loca occupavit, atque absens per suos tribunos apud Volckmarsum 1800. pedites, ac turmas Equitum 9. ablatis eorum vexillis & instrumentis bellicis cecidit. Inde Tremonia 23. Iulij deditioe accepta, Traiectum iuit liberaturus; liberasset, si cætera voto suo respondissent, summa celeritate Mosam ponte stravit, vt traiecto fluuio Hispanorum posset ingredi castra. Ad 9. Octobris Hildesio perispectra in monte patibuli, seu Galgenberg apparentia territo, & post tridui obsidionem subacto, 25. eiusdem mensis die Mulhusum, Langesalzam, aliaque Thuringiæ loca proxima, sibi subiecit. Demum ab Illustrissimo Fridtlandiæ Principe Inuictissimi & Potentissimi Imperatoris Nostri FERDINANDI II. Duce Generali euocatus, pugnam Lutzensem, quæ iam inclinabat, instauravit, ac confecto Suecorum Rege Gustavo 16. Nouemb. tribus D acceptis gladium plagis, pro Imperatore & fide Catholica gloriosus occubuit, non secus ac olim Eleazarus magnus ille Machabæorum Princeps, de quo præclare S. Ambrosius *lib. 1. offic. c. 40.* Huic eximio Duci atq; felicis recordationis Heroi singulariter solene erat, vt in sacrilegos immunitatis Ecclesiasticæ violatores grauitè aduerteret; initurus quoque pugnam, prius noxæ maculas vera cōtritione ac exomologesi elueret, dein animo omnino impauido hostem inuaderet: vnde non tam excellenti animi magnitudini, quam raræ viri ipsius pietati prosperos eius successus attribuo & adscribo.



PAGINA 48. Anno 1208, Philippus Rex statuerat per aliquot dies

A genio indulgere, suumque curare corpus, vel quia sanguinem miserat; Philippi  
Regis cæ-  
des.  
*vt vult fragm. hist. & Otto Frising. in appendice de S. Blasio cap. 50.* vel quia aliquam partem ex turbis negotiorum & bellorum fuerat extricatus, *vt placet Mutio lib. 19. Chron.*

Cum ergo esset Babenbergæ liberalius pransus, vel, *vt tradit Godefridus*, circa ferias S. Albani; ex nuptijs filia fratris sui Ottonis, Duci Meraniae, *alias Moravia* in matrimonio collocata, reuersus, & à prandio siue à nuptijs secessisset cum Episcopo Spirensi, *Godefrid.* & Cancellario, *ex sententia Mutij vel opinione aliorum* cum Camerario *vt loquuntur*, id est, cubiculario, & Dapifero suo Henrico

B VValpurg, corpusque quieti dedisset, aut *ex traditione Pauli Langij in Chron.* in scamno ligneo meridiaretur, Otto de VVitlispach comes Palatinus, qui ob negatam sibi filiam à Philippo desponsam, *vt tradit Otto Fris. d. l. vel vti Crantz. Sax. z 8. author est,* ob datas sibi velut Bellerophonti, seu, *vt vulgo loquuntur*, Vriæ literas (quibus se apud Regem Poloniae, cuius ardebat filiam, commendari credebat, minimè tamen commendabatur, *vt ex ijs apertis cognoscebat*) inflammatus odio plusquam Vatiniano cœpit odisse Regem. Festinus igitur ceu rem magnam Regi nunciaturus, cum 16. militibus armatis, *vt habet Godefri.* accessit ad

C ostium cubilis, in quo Rex quiescebat; illudque pulsauit; ex vehementiori pulsu agnitus ab ijs, qui intus cum Rege morabantur, fuit intromissus. Ipse quasi Philippum Regem salutaturus, *vt ait Crantz.* accurrit, strictoque quam celerrimè gladio, quem sub vestibus abdiderat, *vt docent Chron. August. ad ann. 1197. & appendix ad Ottonem Frisingens. d. l.* eoque in collum Regis vibrato, abscidit iugulares aliquot venas. Totum amputaturus Philippo caput ni incussus illi ex præsentiu clamore ac facinoris magnitudine metus, manuumque tremor ipsum retardasset. Paruula tamen plaga ab ipso inflictæ Philippum exanimauit. Episcopo latebras

D quærente ingens Cancellario & Dapifero iniectus est timor. At tamen vir maximi spiritus Dapifer Henricus de Walpurg confestim oppellatis cubiculi foribus, milites in clamauit. Sed Otto confidentissimus fauciato Dapiferi obstantis capite, illum humi prostrauit, ac conuulsis repagulis se è cubili eiciens, accelerauit ad equos, qui parati expectabant Ottonem. Itaque sublimis equo vectus, dispositis per media custodibus & militibus suis aufugit, antequam in aula, quid rerum ageretur, innotesceret. Ottone ex palatio sic se præcipitante, clamoreque Cancellarij & Dapiferi audito, concurritur ad cubile Regis,



qui volutatus in sanguine suo exanimis iacebat. O fata tristitia. Itane Rex perit, qui iam primum varijs expeditus curis, suo incipit indulgere genio! Næ extrema gaudij luctus occupat. Perit! improvido gladij ictu in cubiculo palatij sui, nec hostem, nec ferrum reformidans; qui toties in prælijs fuerat seruatus. Regali pompa Babenbergæ postridie necis ad 10. Kal. Iulij in ferijs S. Albino dicatis, sepultus est magno multorum luctu, & lachrymis: *Mutius lib. 19.* Hinc corrigendus primò Albertus Crantzius, qui *lib. 7. Sax. cap. 28.* Philippum non dolo circumuentum, sed aperto Marte oppressum occubuisse testatur. Inculcetenim, ab admisso ad Regis triclinium Ottone, gladium vibratum, Incipitum à Rege, *Quid hoc sibi vellet, non iam tempus nec locum esse vibrandi gladij, respondisse, & tempus & locum ensem poscere, statimque confossum Regem vno ictu exanimasse.* Deinde emendandus Godefridus, qui gladio de manu armigeri clanculum arrepto Philippum existimat percussum, quod est minus verisimile. Qui enim id non aduertissent Regi præsentibus. Deniq; & Paulus Lang; qui in Chron. suo Spiræ ipsum existimat esse sepultum. Porro ipse Otto ad Danubium in quadam curte seu villa Monachorum de Eueza delitescens, Henrico de Kalentin Philippi Præfecto seu Marechalco proditus, & mox à milite eius circumfuso crudeliter occisus est, capite eius in fluuium abiecto. *God. frid. anno 1208. Appendix Ottonis Frising. de S. Blasio cap. 51.* In Chronicis tamen Augustensis Monachi ann. 1209. ad Hanovve perhibetur extinctus. Mutius auctor est, Ottonem post latrocinium se continuisse apud Egbertum Babenbergensem Episcopum & eius Fratrem Henricum Marchionem. Ideoque qui constituerant vlcersi necem Philippi, etiam illis insidiabantur. Vnde Henricus Marchio de Adersehe paucis post mensibus occisus fuit in quadam rustica villa à Marechalco Philippi Imperatoris. Alijs in arce Niderstrang fertur occubuisse, vt iam supra in Henrico Kalentin insinuauimus.

Ottonis de Wittelsbach pœna

Henricus Marchio occiditur.

Maria Aragonia vxor Friderici Siculi

PAGINA 50. lit. C. quæ de Legatis Imperialibus ad Siculum retuli, verba sunt Urspergensis. Ibidem Regina in quidem nuncuparam Constantiam, verùm ipsa non Constantia, sed Maria appellanda est, vt docent Chronica Colonienfia folio 185. anno 1212. Lazijs, & alij. Nam Constantia [quæ inter scribendum irrepserat] mater fuit Friderici & Henrici Sexti Imperatoris vxor. Carion tamen damnatus auctor & matrem & vxorem Friderici Constantiam nominat.

PAGINA 51. linea 5. à fine post illa *Nemoris Conusem appellant*, adde, nisi



**A** nisi auum dicere malueris, cum Gerardus Iuliæ Comes, qui cum Henrico Molenarckenſi caſtrum Iſenburgicum anno 1226. deſtruxit, & anno 1235. Ludis haſtilibus VVirtzenburgi interfuit, eius parens eſſe potuerit; quanquam propter regiminis breuitatem Gerardus & hic V Vilhelmus fratres eſſe videantur, & V Vilhelmi illius, de quo Caſarius, filij. Sed de his alias.

PAGINA 53. Anno 1274. Philippus Galliarum Rex, coactio omni uentutis flore, Fernando Flandriæ Comiti filio Regis Portugaliæ, qui ſe Angliæ Regi ſubdiderat, bellum mouit, ac Tornacum Flandris eic-  
**B** ctis occupauit. Occurrit ei Imperator Otto ab Angliæ Rege euocatus cum expeditis copijs, ac Gallum prudenti conſilio de anguſtioribus locis ad tria milliaria ſubducentem ſe in patientiores campos, iuxta pontem, ut aiunt, Bouinum, inſecutus eſt cum agmine inſtructo. Vterque in alterno aſpectu, explicata acie exercitum pugnae componit. Rex Franciæ ſuis additurus animum, ita eos affatus eſt. Otto haud morigerus Eccleſiæ filius, iram Dei merito expaueſcit; nos etſi peccatores, Eccleſiæ tamen iuſſis paremus. Quocirca bona ſpe freti, auxilium Diuini numinis præſtolamur; ſub cuius felicibus auſpicijs ſignum D. Dionyſio inſcriptum, & dedicatum prodeat. Ab altera uero parte Romanæ fulgebant aquilæ; per nubila uolabant ſignorum dracones. Ita uero acies inſtruebatur, ut Ottonis milites ſolem meridianum intuerentur aduerſum; at Regis experirentur auerſum. Initio ſiniſtrum Regis & dextrum Flandrorum cornu collato pede præliabantur. Flandriæ Comes dum ſuis uirtute & animi robore prælucebat, memor, hic ſuam rem agi, audentius quam prudentius, in Philippi aciem inuehitur; ibique pugnando capitur. Miſcentur pugiles, equites inuolant equitibus, acris pugna tres horas tenebat, cædunt, procurrunt uicti uictoreſque Germani ſub ſignis imperatorijs militantes, prætoriam Regis adeo prælio **D** urgebant legionem, ut acie perrupta Regem cominus manu conſertum equo deturbarent. Signifer inclinabat lilia, ut auxilia uocaret. Imperator uiciſſim à Gallis non ſegni eſt pugna impetitus. Fuit, qui ipſius frenâ iumentum corripere; ſed facile cum ſuo detrimento reuulſus. Sonipes Imperatoris caput læſus cum inuito refugit acie, ſed mox ſaltu Imperator corpus ſuum ſubiicit in equum nouum, atque ad prælium redeuntem denſata campis agmina ab acie excludebant. Incaluit rumor à Gallis excitatus, uulgatuſque Imperatorem fuiſſe. Atrox utrimque perſeuerat dimicatio, cæduntur, capiuntur, dilabuntur. Comes Bolo-



Boloniensis inter nouissimos ex acie Imperatoris substitit, donec & ipse comprehenderetur. Gallis tandem adorea cessit palmaris. Comes Flandriæ ipsos 12. annos egit in carcere, Ioanna coniuge eius Flandriam prudentissimè moderante, quæ postmodum effecit, vt Maritum vinculis liberatum in suum reciperet territorium. Otto autem Imperator in Saxoniam reuersus, sæpe consilium oppugnatae Ecclesiae Romanae, deplorauit. Ita *Crantz. 7. Sax. 34.* Monachus Paduanus in Chronico suo ad ann. 1211. hanc bello fuisse datam occasionem existimat; quod liberaliter se Parisijs cesturum spondisset Rex Galliarum Philippus, si Otto Romanorum obtineret Imperium. Quo impetrato, incautam suam Rex considerans promissionem, armis eam dirimere decreuit. Verùm hoc ipse mihi ægrè persuaserit, & *16yous* existimo.

PAGINA 57. litera D. incidit Dominica inuocauit in diem 27. Februarij, itaque restituenda est dies 28. Februarij, vti bene expressi pagina 290. lit. D. Hic autem errore amanuensis verba litura inducta irrepsert, idemque contigit sequenti pag. 58. lit. D.

Kamen.

Gemenaden.

PAGINA 59. Arnoldus, Erenboldus &c. dicuntur fratres de Caminata non illa Sueuiæ, vnde Camerarij & Dapiferi Ducatus Sueuiæ de Caminata, id est, Kemnates & VVellenburg in agro Burgouienfi, oriundi sunt ex Rhætia Curiensi, sed de Caminata VVestphaliæ, id est, Camen prope Vnnam vt videre licet in tabula Geographica. Ita nuper sensi de illis quos nunc de Gemnaden volo nominatos, incidi enim in tabulas, quibus anno 1174. 4. Kal. Iunij, Philippus Heinsbergicus fundationem Monasterij Olinghausani ad petitionem Nobilium coniugum Sigenandi ministerialis B Petri & Hadvvigis confirmauit, diplomate Susati dato quod sic clauditur. *Vt omnis cauillatio & turbatio excludatur Sigilli nostri impressione presentem paginam signauimus, & banni nostri auctoritate roborauimus. Testes horum VVidikindus Prapositus in Rhesse, Ioannes Prapositus in Zestuze, Bernardus Prapositus in Sosat, Thedericus Cellerarius, Albertus Decanus in Sosat, Conradus Custos, Hi Priores Ecclesiarum. Henricus Comes in Arnsberg, Euerhardus Comes in Seyna, Reinerus in Frontezradt, Rabodo van der Marcka, Henricus van der Vore, Henricus van der Rhura, Euerhardus de VViclou, Ionathas frater ipsius, Euerhardus qui in banno Imperiali officium gessit, Vice-linunimanus, Lutfrius, Tiemo, Renero, Rothine, Hino, Luitbertus. Hi omnes nobiles seu liberi. Gerardus Coloniensis Aduocatus, Hermannus Schultetus in Sosat, Hermannus, Erenbertus, Arnoldus, V Vinemarus van der Gemenaden, Sifridus, Rudolphus, Hi ministeriales & alij quam plures. Acta sunt hac anno Incarnationis*



**A** nationis 1174. Indictione 7. regnante Friderico Romanorum Imperatore Inuictissimo, anno regni eius 22. Imperij autem 20. Anno Præfulatus nostri 7. feliciter Amen.

**PAGINA 65. lit. C.** Padberg principio fortassis fuit Episcoporum Padberg. Paderbornensium; nam ut inquitur manuscr. apud Reuerendum Patrem Browerum Societatis IESV in sideribus illustribus in Meinwerco C 105. Anno 1030. Kalend. Junij, Conradus Imperator Meinwerco fideliter sibi in Hungarorum expeditione obsequenti interuentu Gislæ Imperatricis & Henrici Regis filij, testamento dedit in Merseburg quondam Bernardi Spurij Comitis prædium Padberg dictum cum decem mansis; circa eundem montem adiacentibus in pago Michtercha in comitatu Haholdi Comitis situm, eo quod ad se ex defectu legitimi hæredis esset deuolutum. Verum postea ad Colonien-  
**B** ses fuit translatum, ut ex his S. ENGELBERTI literis constat. Quaratione autem ad Colonien-  
ses transierit, necdum reperi. Illud saltem occurrit, à viro Sancto iniuste fundum illum fuisse possessum, minime posse præsumi.

**PAGINA 67. lit. D.** in Margine erronee à Cantipratano vocari Conradum Hildesensem, qui erat Sifridus; hinc colligitur, quod Conradus Hildesio ad Herbipolensem vocatus infulam ac Imperialis aulæ Cancellarius impiorum ministrorum suorum seu ut ait Vrsperg Ministerialium suorum de castro Rauensberg (quod postea à ciuibus est destructum) gladijs confossus occubuerit circa ann. 1205. Vrsperg. Non ergo anno 1218. fuit amplius superstes.

Sifridus  
Hildesheimensis  
Episcopus.

Conradus  
ex Hildesheimensi

Episcopus  
Herbipolensis  
instituitur.

**PAGINA 70. litera B.** Adolphi Comitis apud Bensberg datas typographus inter schedulas imprimendas præterijt. Itaque illas hic exhibeo & propter meliorem Hochstedianæ, Limburgicæ, aliarum stirpium notitiam plures de Ecclesia Rometskirchensi adijcio tabulas.

**D** Priuilegium donationis Ecclesiæ in Romerskirchen.

Romers-  
kirchē ius

In Nomine Sanctæ & Indiuidua Trinitatis. Omnibus hoc scriptum inspecturis in perpetuum. Quia res gesta labitur cum lapsu temporis, qua nullius scripti memoria perennatur, notitia præteritorum præsentis scripti, & Sigilli nostri impressionis testimonio transmittimus. Quod ego Adolphus Comes de Monte, cum fratre nostro ENGELBERTO Colonien-  
si Archiepiscopo, Ecclesia B. Maria Virginis in Knetsteden Patronatum nostrum in Romerskirchen, pro remedio animarum Parentum nostrorum,

Patronatus  
Collegij S.  
Andræ  
Vide pag. 70

SI

& no-



& nostrarum liberi contradidimus. Huius rei testes sunt, Conradus maior Præpositus, & Archidiaconus, Marcharius Abbas de Steinneldt, Godefridus Cappellarius, A  
 \* supra pag. Theodericus de \* Brule, Hartmannus Templarius de Vrbe, Henricus Comes Seinen-  
 182. lit. B. sis, Hermannus Advocatus Coloniensis, Theodericus Dapifer, Sifridus Camerarius,  
 Bruno Pincerna, Pilegrinus Notarius, & alij quam plures. Acta sunt hæc apud Bens-  
 NB. ¶ burg, cum essemus in procinctu versus terram sanctam, Anno Incarnationis Domini-  
 ca M. CC. XVIII.

Confirmatio super donatione Ecclesiæ in Romers-  
kirchen.

Conradus de In Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Conradus Dei Gratia S. Coloniensis  
 Hochsteden Ecclesiæ humilis Minister & Italiæ Archicancellarius, vniuersis tam præsentibus, quã B  
 Archiepisco- futuris, præsentem paginam inspecturis, æternam in Christo salutem. Ipse cautum esse  
 pus Colonië- dignoscitur, vt ea, quæ laudabiliter, præsertim pro animarum remedio pie, ac deuote  
 sis. attentantur, ad perpetuam sui memoriam auctenticarum fulciantur munimine Scri-  
 pturarum. Ea propter tam præsentibus, quam futura posteritatis Christi fidelibus vo-  
 Lutharius de lumus esse perpetuum, quod pie recordationis Lutharius Comes de Hochsteden Pater  
 Hochsteden noster, & Adolphus Comes de Monte cum fratre suo Domino ENGELBERTO CO-  
 S. Engelber- loniensi Archiepiscopo, pro remedio suorum, ac progenitorum nec non & successorum  
 tus & Adol- suorum peccaminum Ius patronatus in Romerskirchen Monasterio B. Mariæ Virginis  
 phus de Mõre, in Knechstedin contulerunt perpetuo obtinendum, sicut in priuilegijs præmissorum C  
 Comitum perspeximus contineri. Hanc deuotam largitionem Patris nostri prædicti  
 Lutharius Lotharij, frater noster Lotharius Comes de Hochsteden, ob reuerentiam eiusdem Pa-  
 Lutharij de tris nostri ratam habuit & acceptam, prout in suo priuilegio clarius declaratur. Cum  
 Hochsteden. itaque ex parte Abbatis, & Conuentus præfati Monasterij nobis humiliter fuerit sup-  
 plicatum, vt hanc concessionem dignaremur confirmare. Nos iustis eorum pariter &  
 honestis grato occurrentes assensu, ad imitationem recolendæ memoriæ D. ENGEL-  
 BERTI, & D. Henrici Prædecessorum nostrorum Archiepiscoporum Coloniensium  
 dictam Collationem iuris Patronatus Ecclesiæ in Romerskirchen factam Monasterio D  
 prænotato præsentium confirmamus auctoritate, arctius sub pœna iam lata excom-  
 municationis inhibentes, ne quisquam memoratum Monasterium in eodem iure pa-  
 tronatus deinceps molestare præsumat. Datum in Knechstedin. Anno gratiæ M. CC.  
 XL..... Mense Iunio.

Collatio Iuris patronatus Ecclesiæ in Romers-  
kirchen.

In Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Lotharius Dei Gratia, Comes in  
 Hochsteden, omnibus tam præsentibus, quam futuris æternam in Domino salutem,  
 Vniuer-



Vniuersitati vestre presenti pagina notificamus, quod nos pro salute anime nostre, & Lotharius de  
**A** Parentum nostrorum, de consensu vxoris nostre Mechtildis, ac heredum nostrorum, Hochsteden  
 contulimus Monasterio S. Mariæ Virginis, quod dicitur Knechsteden, ius patronatus Mechtildis  
 Ecclesiæ in Romerskirchen, quod ad nos pertinere dignoscebatur, humiliter & deuotè vxor eius.  
 per temporalia cupientes æterna comparare. Itaque quia hæc donatio varietati sub-  
 iecta erat, & quia omnes mutationi subiicemus, ne hoc pietatis donum aliquorum in-  
 genis, vel versutis inquietari, vel irritari possit, hanc paginam in firmamentum, &  
 testimonium Ecclesiæ S. Mariæ Virginis in Knechsteden conscribi fecimus, & Sigillo  
 nostro roborari. Acta sunt hæc Anno Incarnationis Dominicæ M. CC. XII. Testes 1212.  
**B** huius facti sunt, Gunterus Sacerdos, Henricus Scriptor frater eius, Godefridus Burg-  
 grauius, Reinardus Dapifer, Henricus \* de Kalemunt, Nichol de Heimboû, Eckeber- \* pag. 214.  
 tus de Hense, Eckebertus de Hart, VVilhelmus de Nuenhaw, Heribertus de Dutilf- supra.  
 dorp, Sibodo frater eius, VVolbertus Berfret, Engelbertus frater eius, Paulus de VVit-  
 hercho, Nicol. de Dalheim, VVolkoldus de Bure.

## Confirmatio collationis dictæ Ecclesiæ.

In Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Henricus Dei Gratia, S. Coloniensis  
 Ecclesiæ Archiepiscopus, vniuersis tam presentibus, quam futuris presentem paginam  
**C** inspecturis, æternam in Christo salutem. Iure cautum esse dignoscitur, vt ea, quæ lau-  
 dabiliter, præsertim pro animarum remedio piè ac deuotè geruntur ad perpetuam sui  
 memoriam auctenticorum fulciantur munimine Scriptorum. Ea propter tam præ-  
 sentibus, quam future posteritatis Christi fidelibus notum fieri volumus, quod piè re-  
 cordationis Lotharius Comes de Hochsteden pro remedio suorum, ac progenitorum,  
 nec non & successorum suorum peccaminum ius patronatus Ecclesiæ in Romerskir-  
 chen Capitulo B. Virginis in Knechsteden contulit perpetuo obtinendum. Hanc deuo-  
 tam largitionem Lotharius Comes de Hochsteden, primo memorati Lotharij filius ob Lotharius de  
 reuerentiam Patris sui ratam habendo collaudans eandem, nobis humiliter supplica- Hochsteden  
 uit, quatenus huius rei presentem literam testimoniale conscriberet, districtius prohi- Lotharij  
**D** beremus, ne quid huic donationi contrarium attentetur. Iustis ergo eius postulationi- filius.  
 bus pariter, & honestis grato occurrentes assensu, dictam collationem iuris patrona-  
 tus in Romerskirchen factam Capitulo S. Mariæ in Knechsteden, presentium auctori-  
 tate confirmamus, saluo per omnia iure Diocæsani, & Archidiaconi loci. Arctius sub  
 pœna excommunicationis inhibentes, ne quisquam memoratum Capitulum in eodem  
 iure patronatus dictæ Ecclesiæ Romerskirchen, deinceps molestare præsumat. Testes  
 sunt, Conradus maior Præpositus, & Archidiaconus, Gosvvinus maior Decanus, &  
 Archidiaconus Henricus S. Georgij Præpositus, Bruno S. Cuniberti Præpositus, Arnol-  
 di S. Gereonis Præpositus, Reinerus de Ellerlo, Arnoldus Scholasticus S. Andrea, Ger-  
 hardus



hardus de Vlammersheim, Gerardus & Pilegrinus Notarij, Ludovicus de Lulstorp, Henricus Comes Scienensis, Theodericus de Dormdorp, Hermannus de Mulenarchin, Hermannus de Alfere, Theodericus de Munichusen, Theodericus Grin, Aegidius de Are, Hermannus Vlecke, Albero de Hongin, Sifridus de Berge. Acta sunt hac Colonia in nostro Pallatio, Anno Incarnationis Dominice M.CC.XXVIII.

Ratificatio & approbatio donationis Patronatus Eccl. sic  
in Romerskirchen.

In Nomine Sancte & Indiuidue Trinitatis. Lotharius Dei Gratia, Comes de Hochsteden. Omnibus tam presentibus, quam futuris, eternam in Domino salutem. Nouerit Vniuersitas nostra, quod Pater noster Dominus Lotharius quondam Comes in Hochsteden ius Patronatus Ecclesie in Romerskirchen, contulit legitime Monasterio S. Mariae Virginis, quod dicitur Knechsteden pia liberalitate, cuius donationem approbamus gratam habemus, & ad eius munitioem, & ratihabitionem, ne inquietari possit, vel irritari prauorum astutijs, vel excogitationibus prauis, hanc paginam conscribi fecimus, & Sigillo nostro ad abundantem cautelam sub spe vite perennis communiri. Acta sunt hac Anno Incarnationis Dominice M.CC.XXVII. Testes huius facti sunt Conradus maior Prapostus, Gosvvinus maior Decanus, Arnoldus S. Gereonis Prapostus, Yvvanus Sacerdos in Romerskirchen, Theodericus Sacerdos de Vremisdorp, Henricus de Kalemunte, Hermannus Vlecke, Henricus Burggrauus, Reinardus Dapifer, Reinardus filius eius, Heribordus de Duttildorp, Sibodo frater eius, VVolbertus Berreit, Engelbertus frater eius, Gerardus, Theodericus, Reinardus filij eorum, Gerhardus de Glene, Pollardus, Henricus Hartheuust, Euerhardus de Colonia, Gerevvinus frater eius, Lifridus, Nicol. de Dalheim, VVinandus filius eius, Ludevvicus de Radinrode, Hellevvicus de Glene, Heino Nus de Glene, Ruttherus de Berge, Volkoldus de Are, Aegidius de Are.

Recognitio de Iure Pattonatus in Romerskirchen.

Lotharius de Hochsteden Hochstadin filius Lotharij Comitum, & Margaretha vxor eius, vniuersis Christi fidelibus tam futuris quam presentibus in perpetuum. Notum vobis esse volumus, quod vj & Mechtildis. ius Patronatus Ecclesiarum de Vremorsdorp, & Romerskirchen spectat ad Abbatem & Ecclesiam Knechsteden. Et nos cognoscimus deinceps eos tale ius obtinere. Et ne Margarita hoc cuiquam posterorum nostrorum in dubium venire possit, hoc sub presenti scripto vxor Lotharij profiteamur, quod Sigilli nostri appensione duximus confirmandum. Actum anno iunioris. Dominice Incarnationis M.CC.XXVIII. mense Februario.

Commis-



A **Commissio causæ super Ecclesiæ de Rommerskirchen  
Priuilegio.**

Henric. Dux de Limburg, & Comes de Monte, & Adolph. primogenitus eiusdem Henricus de Ducis, vniuersis has literas inspecturis salutem & omne bonum. Vniuersitati vestra Limburg & presentibus notum esse volumus, quod nos dilectis nostris Magistro Arnol. Schol. S. Maria ad Gradus, & Magistro Vlrico SS. Apostolorum, & Magistro Sibodo S. Seuerini Canon. Colon. commissimus causam, quæ vertitur inter nos, & Ecmogenitus. clesiam Knechsteden, de iure patronatus Ecclesiæ in Romerskirchen, vt ipsi secundum ius, & suas conscientias definiant dictam causam. Et ne huius commissionis dubium oriatur, presens scriptum Sigilli nostri munimine roboramus. Datum Colonia, Anno Domini M. CC. XLIII. in festo ad Vincula S. Petri.

1243.

**Alia commissio ordinationis causæ.**

Ego Ingebrandus, Notarius Ducis Limburg, & Comitum de Monte. Omnibus presens scriptum intuentibus Notum facio, quod quicquid Magister Vlricus SS. Apostolorum, Arnoldus Scholasticus de Gradibus, & Magister Sibodo S. Seuerini Canonici Colon. super controuersia Ecclesiæ de Romerskirchen, quæ vertitur inter Abbatem & Conuentum de Knechsteden ex vna parte, & me ex altera parte ordinauerint, ratum sum habiturus, & quia proprium Sigillum non habeo, presens scriptum Sigillo Domini Ducis muniui.

**Adiudicatio iuris patronatus Ecclesiæ Romerskirchen.**

Illustri Domino suo Henrico Duci de Limburg, & Comiti de Monte, Magister Vlricus Canon. SS. Apostolorum in Colon. sius deuotus Clericus paratum cum fidelitate obsequium. Ad mandatum vestrum, ego & Magistri Arnol. & Schol. S. Maria ad Gradus, & S. Seuerini Canonici in Colon. inspeximus, & diligenter examinauimus literas bonæ memoriæ, Adol. Comitum de Monte super donatione iuris Patronatus Ecclesiæ de Romerskirchen facta Monasterio Knechstein, ac confirmatione & consensu bonæ memoriæ Archiepiscopi ENGELBERTI, & sicut mihi videtur, & sicut pariter consensimus ad dictum Monasterium pertinet de iure ius Patronatus prefata Ecclesiæ de Romerskirchen. Vnde Deum habeatis præ oculis, & prefatum Monasterium iure suo propitius esse dignemini pro salute animæ vestra, & vestrorum successorum.

**Ratificatio decisionis causæ motæ super Ecclesia de  
Rommerskirchen.**

Venerabili viro O Dei Gratia maiori Preposito, & Archidiacono in Colon. Henricus Dux de Limburg, Comes de Monte salutem cum affectu sincero. Significamus Dux Lim-



burgi Comes de Monte. vobis, causam coram vobis super iure Patronatus Ecclesie in Romerskirchen ab Abbate & Conuentu in Knechtsteden ab vna parte, Nos & Ingebrandum Notarium nostrum ex altera fuisse motam, iuste & amicabiliter esse decisam, & determinatam. Vos rogantes, quatenus Abbati dicto, vel alicui Fratrum suorum, pro quo petierit curam animarum dictae Ecclesie, sicut vestri iuris est, impendatis. Huius rei veritatem scripto, & Sigillo nostris presentibus protestamur. Datum Anno Domini M. CC. XLIV. in die Margaretae.

Alia protestatio, seu ratificatio super eodem.

Venerabili viro, O Dei Gratia maiori Praeposito, & Archidiacono in Colon, Ingebrandus Notarius Ducis de Limburg, & Comitis de Monte, placitam ad beneplacita voluntatem. Causam quam habui contra Abbatem, & Conuentum Knechtsteden, super iure patronatus Ecclesie in Romerskirchen in presentia Domini Ducis de Limburg, & mei, iuste & amicabiliter sopitam, & determinatam poenitus resigno, & effestuco, ita quod nec ego, nec aliquis pro parte mea vobis questionem mouebit. Rogans, sicut in literis Domini Ducis est impressum, Abbati predicto, vel pro quo petierit, Curam animarum impendatis. Quia vero proprium Sigillum in conscriptione huius literae non habui, minori Sigillo Domini Ducis sum contentus. Datum Anno Domini M. CC. XLIV. In die Margaretae.

1244.

Protestatio super decisione causae, circa Ecclesiam de Romerskirchen.

C. Dei Gratia maior in Colon. Praepositus Archidiaconus. Vniuersis praesens scriptum inspecturis salutem in Domino. Literas Ducis de Limburg recepinus in hunc modum: Venerabili viro C. Dei gratia maiori Praeposito, & Archidiacono in Colon. H. Dux in Limburg, Comes de Monte, salutem cum affectu sincero. Significamus vobis, causam coram nobis super iure Patronatus Ecclesie in Romerskirchen ab Abbate & Conuentu in Knechtsteden ab vna parte nos, & Ingebrandum Notarium nostrum ex altera fuisse motam, iuste & amicabiliter esse decisam, & determinatam, Vos rogantes, quatenus Abbati dicto, vel alicui Fratrum suorum, pro quo petierit, curam animarum dictae Ecclesie, sicuti vestri iuris est, impendatis. Huius rei veritatem scripto, & Sigillo nostris presentibus protestamur. Datum Anno Domini M. CC. XLIV. in die Margaretha.

1244.

Alia protestatio super eodem.

C. Dei Gratia maior in Colon. Praepositus Archidiaconus, Vniuersis praesentes inspecturis salutem in Domino: Literas Ingebrandi Notarij Ducis Limburgen, recepinus in hunc modum: Viro venerabili C. Dei gratia maiori Praeposito Colon. Ingeb.



Ingeb. Notarius Ducis de Limburg, & Comitum de Monte paratam ad beneplacitum  
 A voluntatem. Causam quam habui contra Abbatem Knechtsteden super iure patro-  
 natu Ecclesie in Romerskirchen, in presentia Domini Ducis de Limburg, & mei  
 penitus resigno, & effestuco, ita quod nec ego, nec aliquis pro parte mea vobis questio-  
 nem mouebit. Rogans, quatenus, sicut in literis Domini Ducis est expressum, Abbati  
 radi to, vel pro quo petierit, curam animarum impendatis. Quia vero proprium Si-  
 gillum in conscriptione huius nostræ non habui, minori Sigillo Domini Ducis sum  
 cont nus. Datum anno Domini M. CC. XLIV. In die Margaretha.

Protestationis ratificatio super donatione Ecclesie de  
 Romerskirchen.

B  
 C. Dei Gratia maior in Colon. Propositus, & Archidiaconus, Vniuersis nostris  
 successoribus, ceterisque Prioribus perpetuam in Domino salutem. Significamus tam  
 presentibus quam futuris hoc scriptum intuentibus, quod accessit ad nos Lotharius  
 Comes de Hochsteden, presente Abbate de Knechtsteden, & fratribus suis, humiliter  
 & fideliter petens à nobis, vt donationem patronatus Ecclesie in Romerskirchen,  
 quam pater suus bona memoria, Lotharius ob remedium anime sue, & parentum  
 suorum Knechtstedenfi Monasterium pie obtulit, nos illam semper ratam volentes ha-  
 bere, literarum nostrarum continentia firmaremus, & Sigilli nostri impressione mu-  
 C niremus. Nos ergo benignis eius precibus annuentes, ne premissum Monasterium  
 quisquam in posterum in iam dicto patronatu presumat molestare, presentem pagi-  
 nam duximus conscribendam, & Sigilli nostri impressione confirmandam, quatenus  
 & literarum continentia prabeat firmitatem, & Sigilli nostri impressio conferat  
 perennitatem. Datum Colonia. Anno Incarnationis Domini M. CC. XXVIII. 8. Idus 1228.  
 Maij. Testes sunt Ioannes & Henricus Capellani nostri, Hermannus Vlecke de Are,  
 Aegidius de Are.

Recognitio super iure Patronatus de Vremersdorp, &  
 Romerskirchen.

D  
 In Nomine Domini, Amen. C. De Hochsteden, maioris Ecclesie, & F. frater  
 eius S. Andrea in Colon. Canon. Omnibus presens scriptum inspecturis salutem in  
 Domino. Notum esse volumus, vniuersis quod ob salutem animarum parentum no-  
 strorum, & nostram cognoscimus Abbatem, & Ecclesiam in Knechtsteden plenum ius  
 habere patronatus Ecclesiarum de Vremersdorp, & de Romerskirchen. Et hoc sub  
 presenti pagina protestemur, cui nos rogauimus apponi Sigilla Ecclesiarum, in quibus Conradi de  
 Canonici sumus, videlicet maioris Ecclesie, & Ecclesie S. Andrea. Insuper ego C. Hochsteden  
 meum proprium apposui: Ego vero F. quia proprium Sigillum non habui, Sigillum  
 Deca-



1228. Decani mei S. Andree ad abundantem cautelam appendi supplicavi. Actum Colonia, in veteri Pallatio, anno gratia M. CC. XXVIII. Mense Februario, proximo Sabbatho ante Cathedram Petri, presentibus Friderico Abbate, Rabodone Priore, Henrico Cellerario, Giselberto, Conrado Canon. Ecclesia Knechstedenf. Gerlaco Canon. Bonnensi, Magistro Francone Scholastico S. Cuniberti, Magistro Henrico de Rile, Magistro Henrico Leodiense, & alijs pluribus.

Ecclesia de Romerskirchen adiudicatur Ecclesie Knechstedensi per sententiam diffinitivam.

In Nomine Domini Amen. Nos Iudices G. de Droitzdorp, Canon. Bonnens. B Magister F. Scholasticus S. Cuniberti, & Magister H. de Rile Colonienf. à Domino G. Praposito & H. & H. Canon. SS. Apostolorum in Colon. à Domino Praposito delegatis constituti, & arbitri de consensu partium electi in causa, que vertitur inter Abbatem, & Ecclesiam Knechstedenf. ex parte vna, & C. de Hochstaden Canon. maioris Ecclesie in Colon. ex altera super iure patronatus Ecclesiarum de Vremersdorp. & de Romerskirchen, intellectis rationibus, cognitis probationibus, & privilegijs Ecclesie Knechstedenf. inspectis, Deum præ oculis habentes, ratione iudicaria potestatis, dicimus Abbatem, & Ecclesiam Knechstedenf. ius habere, & adiudicamus eis per diffinitivam sententiam ius patronatus dictarum Ecclesiarum, Domino C. de Hochstaden prædicto imponentes silentium perpetuum, super ipso iure patronatus earundem Ecclesiarum. Ratione vero arbitraria potestatis, quia in nos compromiserunt Abbas, & Ecclesia Knechstedenf. ex parte vna, & dictus C. de Hochstaden maioris Ecclesie & F. frater eius S. Andree in Colon. Canon. ex altera, sub periculo cause & fide data, & sub pœna excommunicationis super iure patronatus dictarum Ecclesiarum, dicimus arbitrando, quod dicti fratres C. & F. effestucando renuncient omni querela, actioni, & iuri, si quod videbantur habere super patronatus iure earundem Ecclesiarum, & gratum habeant & acceptum, quod Ecclesia de Knechteden habeat ius presentandi ad Ecclesias supradictas, & ratam habeant hanc nostram sententiam, & volumus, vt sub Sigillis suarum Ecclesiarum, in quibus Canonici sunt, D ista profiteantur. Actum Colonia in veteri Pallatio, Anno gratia M. CC. XXVIII. Mense Februario, proximo Sabbatho ante Cathedram Petri, presentibus partibus, & alijs pluribus.

Oliuerus S. PAGINA 71. & sequenti. Vt hæc plenius intelligantur subijciam hic ipsam quam promisi Oliueri ad S. ENGELBERTUM epistolam.

ENGELBERTO.

OLI-